



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

Dissertatio Præliminaris ceu Isagoge ad Historiam Ecclesiasticam decimi  
quinti Sæculi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)



DISSERTATIO  
PRÆLIMINARIS

ceu

Ifagoge  
ad Historiam Ecclesiasticam  
*decimi quinti Sæculi.*

Quemadmodum ingens illud, ut vocatur, Occidentis schisma, ad cuius extinctionem Pisanum & Constantiense Concilia fuere celebrata, occasionem sumpserat vel maxime ex eo, quod a tempore Clementis V. usque ad Gregorium XI. Romani Pontifices sedem suam Avenionem transtulissent, hinc vix opportunius hanc

hanc Historiæ Ecclesiasticæ partem, quæ sane celebrioribus Sæculi XV. fatis locupletissima est, dilucidare poterimus, quam si eam ab ipsa hujus schismatis origine repetamus.

Igitur Bonifacio VIII., cui acres cum Philippo *pulchro* Galliarum Rege lites intercesserant, fatis functo, Benedictus XI. successit, qui, postquam decem circiter Menses S. Petri Cathedram rexisset, Perusiæ mortalitatem exiit. Idem vero Cardinales, qui eum elegerant, Sedi vacanti successorem daturi, conclave ingrediuntur; ast subdolæ quorundam artes, quæ per octo annos Bonificiū VIII. Pontificatum turbabant, cum necdum extinctæ essent, Cardinalium animos in diversa abriperunt studia. Inficiari equidem minime valet, potissimam eorum partem de eligendo ejusmodi Pontifice, qualem Ecclesiæ salus exposceret, unice sollicitam fuisse; attamen non omnibus idem incederat boni publici amor purus a deo atque integer, quin multi eorum propriæ suæ ambitioni litare cupientes,

tes, illicitis etiam mediis ad supremum Pontificatus apicem ascendere conniterentur.

In hac Cardinalium discordia de electione conclamatum esse videbatur, quocirca Nicolaus de Prato Cardinalis ex Ordine S. Dominici, & Gallicæ partis Princeps, nec non Cardinalis Cajetanus Italorum caput mutuo consilio decreverunt, ut Italica factio tres Gallicos designaret Archiepiscopos, ex quibus Galli aliquem in Summum Pontificem eligerent. Itaque inter tres, quos nominavit Cajetanus, primus erat Bertrandus Augustensis, Archiepiscopus Burdegalensis, quem Abbas Fleurius Bertrandum de Goto appellat. Hic anno MCCXCV. Episcopus Convenensis renuntiatus est a Bonifacio VIII, a quo anno MCCXCIX. paucis ante natalitia Christi diebus ad Archiepiscopatum Burdegalensem translatus fuit; hujus nominationem, quamvis inimicus esset Regis Galliarum, gratam habuit Pratenfis, certioreque ea de re reddidit Philippum Pulchrum,

chrum,

chrum, hortatus, ut spe futuri Pontificatus Archiepiscopum lactare, ac rebus Galliæ propitium reddere stude-  
ret. Consilium Pratenſi ex ſententia ſucceſſit. Burdegalenſis enim oblatum Pontificatum acceptans, Re-  
gi, quæcunq; peteret, ſe præſtitu-  
rum ſponndit, dummodo Tiara po-  
tiretur. Philippus pulcher, ut me-  
morant Auctores, ſex propoſuit ar-  
ticulos, quorum quinque Bertrando  
diſertis verbis indicavit; circa ſex-  
tum vero pro ratione temporis, ac  
loci mentem ſuam aperiendi liberta-  
tem ſibi reſervavit. (\*) Quisnam  
fuerit ſecretus iſte articulus, altum  
apud Scriptores ſilentium; conjici-  
unt alii Regem ab Archiepſcopo  
poſtulaffe, ut ſedem papalem in Gal-  
lias transferret, ubi Rex Summos Pon-  
tifices arctius in officio continere po-  
ſſe ſperabat, quam hucusque a Boni-  
facio VIII, & ejus Succeffore Ro-  
mæ

---

(\*) S. Antoninus p.3. tit.21. c. 1. ſic habet;  
*ſextam gratiam mihi reſervo, exprimendam  
loſo, & tempore ſuo arduam, & magnam.*

mæ consequi poterat. Sed ut hæc sint, electus tamen fuit Bertrandus Perusii sub nomine Clementis V, moxque Avenionem, urbem tunc Carolo Siciliae Regi subditam, sedem suam transtulit, quæ juxta Platinæ supputationem post ipsum per septuaginta quatuor annos ibidem permansit, sex aliis Pontificibus in eadem urbe residentibus, nempe Joanne XXII, Benedicto XII, Clemente VI, Innocentio VI, Urbano V, & Gregorio XI, omnibus natione Gallis.

Itali jam per octoginta fere annos a Gallis Pontificia dignitate exclusi, nil intentatum relinquebant, ut Papam denuo in Italiam reducerent, caussati, Romam eo absente per Guelphorum ac Gibellinorum factiones crudeliter depopulatam, ac Patrimonium S. Petri totaliter devastatum fuisse. Una quippe ditionis Ecclesiasticæ pars seditione jugum excusserat, altera a privatis Principibus occupata, & usurpata, reliqua tandem admodum exigua per Florentinos

*Hist. Eccles.  
Lib. CI.  
§. XXIX.*

*Hist. Eccles. Tom. XXV.*

e tinos

tinis sacram Sedem bello prementes, cædibus ac rapinis fœde funestata ingemuerat. Gregorius gravibus adeo rationibus, præcipue vero validis, ac assiduis S. Catharinæ Senensis precibus devictus, tandem sacram Sedem Urbi Romanæ restituere decrevit, spreto amicorum suorum, & plurimorum Cardinalium consilio, qui schisma ex hac translatione facile enasciturum, & mala ac tumultus Ecclesiæ post mortem ejus imminentes præfagiebant.

## §. I.

*Schismatis Exordia.*

Porro Vaticinium istud probavit etiam eventus. Cardinales enim, Gregorio Anno MCCCLXXVIII. decedente, de successore eligendo deliberant. Sexdecim eorum Romæ morabantur, quos inter quatuor duntaxat erant Itali, ceteri omnes Galli, solum si excipias Petrum de Luna Arragonensem. Igitur Galli suæ nationis Papam eligere meditantur,

tantur, sed Romani haud abs re pertimescentes, ne sub Pontifice Gallo denuo sacra Sedes in Franciam migraret, armata manu, minisque acerbissimis Cardinalium Collegium, ut Italum eligerent, adigunt, necnon conclave cingunt, continuo vociferantes: *Romano lo volemo lo Papa*, id est, Romanum creari Pontificem petimus, mortemque comminantur, si secus fecerint.

## §. II.

*Tumultuaria Urbani VI. Electio.*

Eligunt ergo non quidem absque populari tumultu, ac metu (\*) Bartholomæum de Prignano Archiepiscopum Parensem Neapoli oriundum. Postquam vero rumor per urbem increbuit, Archiepiscopum Parensem fuisse electum, populus similitu-

(\*) Urbani VI. electionem vindicarunt Odo-ricus Rainaldus ad annum 1378 & apud eundem Baldus de Perusio, & Joannes de Eignano in *Gallia Vindic.* Diff. 3. §. 4. & plures alii.



militudine nominis deceptus, & quemdam Joannem Barensem Gal- lum, ac Papæ defuncti cubicularium ad Pontificium solium evectum existi- mans, denuo furere, ac tumultua- ri cæpit. Eo tempore Cardinalis S. Petri e fenestra prospicere cerne- batur, cum itaque nonnulli longius ab eo stantes interrogarent, quisnam ille esset? alii vero responderent: esse Cardinalem S. Petri, illico Ro- mani, Cardinalem S. Petri Pontifi- cem esse autumantes, per totam ur- bem cursitare, & uno ore clamare: *Viva santo Pietro, vivat sanctus Pe- trus.* Hoc novo errore Cardinales ad modicum tempus ab insultibus populi respirare cæperant; post- quam vero Romani conclave adhuc clausum animadvertissent, geminato furore accurrere, conclavis portas effringere, Cardinales capere, eorum suppellectilem deprædari, identidem clamantes: Se vel Patria Romanum, vel saltem natione Italum postulare Papam. Cum autem quidam Car- dinalium famulus eis diceret: utique habe-

*Theo. Niem.  
de Schism.  
l. I. c. I. § 2.*

habetis Pontificem S. Petri Cardinalem, illi e vestigio hunc educunt, Pontificalibus insignibus ornant, in altari collocant, & solito obsequio venerantur. Attamen cum ipse, nec se esse creatum, nec velle se Papam creari, constanter obtestaretur, convitiis affectum dimittunt.

Interim ægre fuga sibi consulere poterant Cardinales, quorum quidam a populo capti, & contumeliis, ac verberibus laceffiti, alii sub alieno habitu recedere coacti, hi domos suas petere, illi urbe exire, vel in Castrum S. Angeli confugere. Postera die Barenfis Archiepiscopus, ut memoravimus, electus, proclamari quidem cupiebat, sed omnibus Cardinalibus destitutus, Magistratibus urbis insinuat, incassum esse omnia, ni eorum sollicitudine Cardinales convocarentur, per quos sua proclamaretur electio, ipseque in sacræ Sedis possessionem induceretur. Ergo duodecim, seu tredecim Cardinales, qui urbe necdum excesserant, a Magistratu acciti, tremula voce Archiepisco-

chiepiscopum Barensem sub nomine Urbani VI. proclamant, & die 9. Aprilis eundem in Papali Sede collocant; ille autem decimo septimo ejusdem mensis die ipso Paschali festo iisdem Cardinalibus præsentibus a Cardinale Ursino coronatus est. Cardinales Romæ degentes literas ad Purpuratos Avenione residentes exarrant, electionem Barenfis Archiepiscopi indicantes, eandem quoque unanimum, ac plene liberam fuisse, nec ulli desuper dubio locum esse significarunt, qui tamen eam paulo post contrariis factis a metu penitus immunem non fuisse, palam innuebant.

*Dacher. spi-  
eil. Tonz. 10.*

## §. III.

*Cardinales Roma Anagniam  
secedunt.*

Idcirco Cardinalis de Agrifolio, & quidam alii Regi Francorum scripsere, ne epistolis a Cardinalibus, quamdiu Romæ essent, datis ullam fidem adhiberet, eoquod metu per  
popu-

populum Romanum constricti scribe-  
 rent. Profecto tredecim Cardina-  
 les Galli severiorem Urbani VI. in-  
 dolem ægre ferentes, præprimis A-  
 nagniam, status Ecclesiastici urbem,  
 concedente Papa, sub prætextu æ-  
 stivum declinandi calorem Roma  
 abscesserant; inde vero ad Urbanum  
 literas miserunt, in quibus omisso  
 prorsus Summi Pontificis titulo,  
 eum apostatam, Antichristum, & U-  
 surpatorem convitiantur, significan-  
 tes, se ob periculum vitæ, & me-  
 tum mortis sibi a populo conclavo  
 obsidente, ni Romanum, vel Italum  
 eligerent, intentatæ ad tumultua-  
 riam illius electionem, contra suam  
 mentem, ac voluntatem adactos fuis-  
 se. Hinc sese illum intrusum, ac vi  
 electum declarare, & ne Papam se  
 gereret, districtè prohibere. Præ-  
 terea omne, quod in ipso electionis  
 actu contigerat, articulatim, confe-  
 cto desuper apologetico scripto, pu-  
 blicæ luci exponebant. Quo etiam  
 tenore scripserunt ad omnes Euro-  
 pæ Principes, ac Universitates; præci-

pue ad Parisiensem literas die vigesima prima Augusti dederunt, Hæc auspicia Urbano jam fatis inimica, funestiora longe reddidit imprudentior, ac nimium intempestivus ejusdem zelus; cum enim Cardinalium animos delinire oportuisset, ut paulatim sibi eos devinciret, & unanimi eorum consensu legitimus agnosceretur Pontifex, ipse econtra rigidiori, ac ferventiori suæ indoli indulgens, tantopere eos exacerbabat, ut tandem ad extrema quæque prolaberentur. Mores enim eorum in publico consistorio acrius redarguit, nonnullos privata objurgatione castigavit, & insuper asperitate sua offendit Ottonem Brunsvicensem ducem, qui defuncto Principe Tarentino Joannam Neapolis, ac Siciliae Reginam sibi desponsaverat. Hanc enim Urbanus exauctorare comminatus, prout & factum est, Cajetanum quoque Fundorum Comitem præfectura Campaniæ Romanæ exuere, & a Rostangis arcem S. Angeli, cujus custodia eis concredita erat, repetere meditabatur. Seve-

*Theodor.  
Niem. de  
schisma. c.6.7.  
§ 8.*

Severitas ista temporum circumstantiis minime congrua Cardinales ad alterius Pontificis electionem permovet, & consilium suum Anagninæ, quod est status Ecclesiastici oppidum, serio exequi parant. Comitibus Fundorum protectione securi, ad suas partes trahebant exterarum copiarum, fere quinque, aut sex millia equitum, præter quatuor circiter peditum millia, quæ Gregorius XI. in Britannia coegerat, & Cardinalis Gebenensis tribus antea annis in Italiam contra Florentinos, aliasque urbes S. Sedi rebelles duxerat. Verum Romani has quidem copias, dum prope Romam transibant, Anagninam peturi, adoriuntur, sed cæsi, fugatique illis liberum transitum concedere coacti sunt. Insuper Cardinales Joannam Neapolis Reginam sibi devincire satagunt, ejus patrocinium implorant, ab ea tutum præstolantes locum, ubi novum eligerent Papam; seligunt sibi in hanc rem Fundos Neapolitani Regni civitatem, ac re ipsa eo conveniunt. Vix advenerant

rant Purpurati, dum illico de mediis deliberant, quibus tres Cardinales Italos Urbano adhuc devotos, & Præneste in Campania morantes Anagninam allicere possent, quod etiam hoc stratagemate obtinuerunt, nam cuique illorum sigillatim secretam epistolam mittunt, adjecta sponfione, quamprimum Fundis advenerit, illico in Summum Pontificem eligendum esse, injuncto tamen altissimo silentio, ne forte reliqui duo Cardinales concepta invidia, electionis illius negotium pessumdarent. Præfati Cardinales Itali erant; Florentinus, Mediolanensis, & Urfinus; nam Cardinalis S. Petri in obedientia Urbani VI. jamjam e vivis excesserat. Itaque omnes tres Papatus potiundi spe lactati discedunt, Fundos perveniunt; & paucis post adventum diebus conclave numero sexdecim ingrediuntur, via Scrutini ad electionem processuri.

*Niem. c. 9.*

§. IV.

## §. IV.

*Sexdecim Cardinales Fundis eligunt  
Clementem VII. Summum Pon-  
tificem.*

Tribus istis Italis, quorum quilibet Papatum sibi certum sperabat, linguam & aquam hærere vidisses, dum paucis ex post diebus in primo scrutinio Robertum Cardinalem Presbyterum tit. SS. duodecim Apostolorum renuntiatum audierunt. Hic vulgo Cardinalis Gebenensis seu Genevensis, eo quod Amadæi Gebenensis Comitum frater, aut nepos esset, appellatus, nomen Clementis VII. adoptavit, annum agens ætatis trigessimum sextum, cumque natione nec Gallus, nec Italus esset, neutri parti suspectus credebatur, qui primo Morienfis, seu Feruanus, inde Cameraensis Episcopus factus, a Gregorio XI. purpura decoratus est. Vir erat ingenio, eloquentia, & dexteritate clarus, rebus gerendis, ac laboribus sustinendis aptissimus. Non solum hisce animi dotibus sibi electorum

etorum



*Theo. Niem.  
de schism.  
lib. I. c. 20.*

ctorum suffragia promeruit, sed potissimum generis sui nobilitate, potentioribus Europæ Principibus, aut fœdere, aut sanguine junctus. Qua prærogativa munitus, in tuenda sua dignitate adversus æmulum suum ceteris prævalebat. Cardinales Itali rei novitate permoti, illico ad castrum, unde venerant, reversi sunt: spectabat castrum hoc ad Cardinalem Urfinum, qui brevi ibidem obiit, sed in cujus Pontificis obedientia, incertum est.

Ergo Urbanus jam quinto post inaugurationem suam mense alium Papam sibi opponi, omnesque Cardinales ejus, quin imo suorum etiam aulicorum nonnullos a se defecisse non sine gravi animi dolore conspexit. Quapropter incerore confectus exeunte anno Romam ad Ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim revertitur, adhuc enim castrum S. Angeli Gallorum potestati subditum erat. Tunc primum fatales imprudentiæ suæ deplorabat eventus, quos ut repararet magis humanus, ac benignior

unacum aliis Comitatus relinqueret. Regina, ut Pontificis molimina everteret, ditionum suarum jura ad Ludovicum Andegavensem devolvit, eum adhortata, ut prompto auxilio eidem succurreret. Interea vero Carolus Dyrrachus Neapolim occupat, Ottonem Joannæ Maritum proditorie aggreditur, capitque, tandem etiam subacto Castro-novo Reginam, quæ illuc cum Maria sorore sua confugerat, captivam abducit, & paulo post laqueo suffocari jubet.

## §. VIII.

*Bellum Ludovici Andegavensis contra  
Carolum de Dyrrachio.*

Igitur Clemens VII. Andegavensem Ducem importunis precibus stimulat, ut in Italiam exercitu suo penetraret. Dux ille Gallici Regni habenas moderabatur, sub Carolo adhuc impubere, qui Caroli V., cognomento *sapientis*, die 16. Septembris anno 1380. fatis functi successor erat. Ergo ille An. 1382. cum valido milite

*Laborat.  
hist. Carol.  
VI. l. 2. c. 8.*

nignior erga suos aulæ Ministros esse  
cæperat, eisque plura officia tum va-  
cantia contulit.

## §. V.

*Urbanus VI. viginti novem Cardinales  
creat.*

Sancta Catharina Senensis, cujus  
præcipuis curis Gregorius XI.  
Romam rediit, Urbani electionem  
Canonicam esse agnoscens, aperte ei-  
dem sese addixit, deditque ad Caro-  
lum V, quamvis irrito conatu episto-  
las fervore ac zelo plenas, quibus Re-  
gem, ut Clementis partes desereret,  
eumque ad Urbani obedientiam re-  
dire compelleret, adhortabatur; cum-  
que sermone, ac spiritu potens esset,  
ut in Papæ obsequio cunctos fide-  
les firmaret, omnem navabat o-  
peram. Scripsit quoque ad Urba-  
num sex epistolas typis impressas,  
quibus eum ad constantiam excitat,  
& nimiam severitatem, qua sibi tot  
inimicos accersivit, mitigare, ac quan-  
tocius novum Cardinalium colle-  
gium

gium creare suadet, & quidem talium, qui inter hosce turbines Ecclesiæ ædificium meritorum suorum fulcimento sustinere valerent. Igitur hujus sanctæ monitis acquiescens Urbanus, viginti novem creavit Cardinales diversarum nationum, quas sibi devincire studuerat. Horum viginti sex Purpuram acceptant, ceteri repudiant. Præcipui fuere Bonaventura Patavinus Ord. S. Augustini; Nicolaus Mesquinus ex Ordine FFr. Prædicatorum; Joannes Archiepiscopus Corcyrensis; Rainulphus de Monteruco nepos Cardinalis Pampilonensis, & Episcopus Segesteronensis; Philippus Alenfonius ex regia stirpe Gallorum oriundus, Agapitus de Columna, qui dignitatem, quam ab initio recusabat, propinquorum precibus devictus, acceptavit; Pileus de Prato Ravennatis Archiepiscopus; & Galleotus Tarlatus de Petramala, patria Aretinus, & Protonotarius Apostolicus.

## §. VI.

*Gallia Clementi VII. adhæret.*

Duplicis hujus Pontificis electione in diversas partes scindebatur Ecclesia: Urbano obedientiam profitebatur (\*) omnis fere Europa, Germania, Hungaria, Bohemia, Anglia, Polonia, Dania, Suecia, Prussia, Norvegia, Hollandia, Etruria, Longobardia, Ducatus Mediolanensis, & tota propemodum Italia, exceptis quibusdam Siciliae, & Neapolitanæ coronæ locis. Necdum quoque Hispania ab eo defecerat, & Hispani, quamvis Petrus de Luna a Clemente VII. ablegatus apud eos Sedem suam fixisset; illum tamen, quia Aragonensis erat, velut simplicem Hispanum, nullatenus vero tanquam hujus Papæ Legatum venerati sunt. Quocirca in pluribus Hispaniæ Conciliis durante hoc schismate celebra-

tis

---

(\*) *Ex his haud obscure dignoscitur, qui tandem primi fuerint exitialis hujus schismatis auctores.*

tis hæc quæstio indecisa, ad futurum Concilium œcumenicum remittebatur, & primum in Synodo Salmantica anno 1387. Præsidente Petro de Luna habita Clemens VII. Papa agnitus fuit, tardius adhuc Navarra, & Arragonia accessit. Francia anno 1379. in quodam Concilio Nationali sub Carolo V. Parisiis coacto neutri Pontifici adhærendum statuit, quarto tamen post mense Rex Clementi VII. se devovit, & Urbanus VI. eo ex tempore fere ubique pro intruso habebatur, Gallorum exemplum sequentibus Castella, Arragonia, Navarra, Scotia, Sabaudia, & Lotharingia.

## §. VII.

*Clemens VII. Avenionem profugus.*

*Ciacon. in  
Clem. VII.*

Interim hi duo Pontifices cum ingenti Christianorum scandalo se invicem diris devovent, ac repetito anathemate sese mutuo execrantur, brevi vero ad pejora, magisque atrociam convolant arma, unde graviora emerferunt mala. Clemens Fundis  
in

in quoddam castrum, *spelunca* dictum, Cajetæ vicinum auffugit; inde vero cum suis Cardinalibus Neapolim venit; cum autem a populo inhumanissime fuisset receptus, Avenionem petiit, ubi anno 1379. mense Junio advenit. Eo discedente amicorum suorum factio penitus in Italia dissolvebatur, & castrum S. Angeli dedicatione cessit Urbano, qui in Joannam Reginam, Comitem Fundorum, Ursinos, omnesque Clementis fautores legum severitate animadvertit. Clemens vero pari vindictæ stimulo agitatus in Urbani aedem defæviit. Unde Ecclesiæ navicula horrida tempestate concussa.

Urbanus sententiam exauctorationis contra Neapolis Reginam executurus, regnum Carolo de Dyrachio Reginæ sanguine juncto tradidit, quem hunc in finem ex Hungaria evocaverat, ac post adventum ejus Papa Siciliae Regem coronaverat, ea lege, ut Francisco de Pregnano, cognomine Batillo, Urbani Nepoti Capuanum, & Melphitanum Ducatum

unacum aliis Comitatus relinqueret. Regina, ut Pontificis molimina everteret, ditionum suarum jura ad Ludovicum Andegavensem devolvit, eum adhortata, ut prompto auxilio eidem succurreret. Interea vero Carolus Dyrrachus Neapolim occupat, Ottonem Joannæ Maritum proditorie aggreditur, capitque, tandem etiam subactis Castro-novo Regnam, quæ illuc cum Maria sorore sua confugerat, captivam abducit, & paulo post laqueo suffocari jubet.

## §. VIII.

*Bellum Ludovici Andegavensis contra  
Carolus de Dyrrachio.*

Igitur Clemens VII. Andegavensem Ducem importunis precibus stimulat, ut in Italiam exercitu suo penetraret. Dux ille Gallici Regni habenas moderabatur, sub Carolo adhuc impubere, qui Caroli V., cognomento *sapientis*, die 16. Septembris anno 1380. fatis functi successor erat. Ergo ille An. 1382. cum valido milite

*Laborat.  
hist. Carol.  
VI. l. 2. c. 8.*



te e Gallia movet, Siciliam occupaturus, demum Longobardiam per vagatur, & dum recta in Italiam pergere debuisset, ubi Urbanum capere, Joannam erga se tantopere beneficam, & Ottonem Ducem ejus conjugem, a Carolo Dyrrachio in custodia detentos liberare potuisset; ille econtra Aprutium tendit, ibique Neapolis, Siciliae, & Hierosolymæ Rex, nec non Provinciæ Comes proclamatur. Carolus autem Neapoli moratus, loca suæ potestati adhuc subdita, munimentis firmari jubet, & Andegavenfis copias lento bello consumere decernit. Nec consilio abfuit successus, nam annonæ, & pecuniæ defectus, ac grassantis luis violentia Ducis hujus copias adeo extenuabat, ut re infecta abire cogerentur; Ipse quoque vel sinistrae fortunæ tædio, vel pestilentiae morbo attritus, sive demum, ut quidam referunt, aquæ, quam ex fonte ab hostibus venenato hauserat, potu consumptus, Barii e vita migravit, die vigesima prima Septembris Anno

Domini millesimo trecentesimo octogesimo quarto.

*Niem. de  
schism. l. 28.  
& 29.*

Cum vero Carolus vix non integro biennio Regnum hoc possedisset, nec tamen juxta fidem datam Pregnano Urbani VI. Nepoti promissos Ducatus cessisset, Pontifex haud parum anxius, & Dyrrachium ad Andegavenfis partes deflexurum veritus, ipsemet anno superiori Neapolim pervenit, & Ferentinum usque, exiguam status Ecclesiastici urbem, progressus, Cardinales ad se venire præcipit; his vero reluctantibus, eorum contumaciam in acta referri voluit, depositionis pœnam in eos comminatus. Nihilo secius tamen iter suum profequitur, & sub initium Octobris Averfam, oppidum Neapolin inter, & Capuam situm, pervenit. Carolus Papæ obviam procedens, & præstito subjectionis obsequio equi habenas stratoris instar manu tenens, Urbanum præcessit, eundemque in Palatium Episcopale, ubi resideret, comitatus est.

§. IX.

## §. IX.

*Urbanus Papa a Carolo Dyrrachio  
custodiæ datur.*

Attamen hæc Caroli Dyrrachii obsequia non tam Pontificem liberalius colendi, quam in suos casses tutius trahendi animo, exhibita fuisse constat; Carolus enim Urbano vix urbem ingresso, portas omnes claudi iussit, & eundem sole ad occasum vergente in palatium suum invitavit, quem sui primo venire cunctantem, postea etiam omni modo obnitentem adhibita vi abripiunt, spreto ejus anathemate, quo publice in via raptores suos perculit. Quinque dies detinebatur, suis quæ facta ferret, plane ignorantibus; Pontificem tamen conditiones, quas antea, ut in fiduciarium possessionem induceretur, Carolus inierat, denuo remittere vi coactum fuisse verosimile est. Neque tamen ideo liberum dimisit, sed Averfa Neapolin raptum ipse ante urbis portas excepit, re-

gio habitu indutus, corona capiti imposita, dextera Sceptum, & sinistra Pomum aureum gestans, inque solio satis elevato sedens, nec surgere dignatus, donec Urbanus ad imam Throni partem appropinquasset. Tunc tandem Rex descendit, & Papam dato pedum osculo ipse in urbem deduxit, licet solemnem ingressum eidem negaret, nec ad Archiepiscopale Palatium, in quo habitare malisset, sed ad castellum novum deduci iussit, ubi singulis ad eum venientibus liber quidem concedebatur accessus, sub fideli custodia tamen detentus erat, donec tandem decimo quinto, vel sexto die, Cardinalium opera, inita inter eos concordia esset, hoc tamen pacto, ut Pontifex administrationi Regni nequaquam sese immisceret; Carolus vero Urbani Nepotem crearet Capuæ Principem.

*Niem. de  
schism. 6. 33.*

Nec diu tamen Urbani familia hoc Principatu decorata floruit. Postquam enim ejus Nepos, non modo nullis suffragantibus meritis clarus, sed insuper effræni morum licentia defor-

deformis, Monialem quamdam ordinis S. Claræ in monasterio S. Salvatoris constuprasset, Rex indignitate facti denuo ira commotus est in Pontificem, qui impudici sui Nepotis causam nimio studio tuebatur. Urbanus, contra pacti fidem, supremam in Regnum Neapolitanum potestatem sibi competere, nec Carolum, se præfente, in Regni Proceres capitali sententia animadvertere posse, pronuntiabat. Nihilominus hæc e- *Idem c. 40.* tiam dissidia fuere composita. Rex quoque Neapolitanus Nepoti sacrilegii hujus noxam remisit, eidemque Nuceriam urbem in regno Neapolis sitam, vulgo *Lucera delli Pagani* dictam, una cum septuaginta florenorum millibus donavit. Ad eandem urbem Pontifex quibusdam suorum stipatus secessit, hyberna acturus; memor tamen injuriæ sibi a Carolo illatæ, quam Neapolitanorum auxilio fretus, vindicandi, eumque Regno exuendi occasionem aucupabatur; quapropter non multo post contentio recrudit.

f 4      Quippe

*Spond. an.*  
1384. §. 6.

Quippe Carolus Neapoli redux, debitam reverentiam Urbano exhibere negligens, misit ad eum Oratores, qui rogarent, ut quantocius Neapolin reverteretur, eo quod multa essent gravioris momenti, quæ cum ipso conferret. Hujus arrogantia commotus Pontifex respondit: Reges ac Principes Christianos consuevisse ad pedes Pontificum venire, non hos ad illos, si autem se amicum habere vellet, tot gravia vectigalia, quibus Regnum Romanæ Ecclesiæ fiduciarium opprimit, abrogaret. Carolus hoc responso magis adhuc efferatus, publice contestabatur internum animi sui propositum, quo Urbanum aperto odio persequi statuerat. Præprimis non nullæ in vulgus spargebantur quæstiones, quarum altera hujus erat tenoris: „ Utrum  
„ liceat Curatores dare, vel omnino  
„ castigare, deponere, & ejus loco  
„ alium eligere Pontificem, si is vel  
„ nimium negligenter, vel plus justo  
„ obstinatus sine Cardinalium consilio cum præjudicio Ecclesiæ cun-  
„ cta

„ cta ad arbitrium suum disponeret. „  
 Cardinalis Reatinus, nomine Petrus *Niem. lib. x.*  
 Tartaro Montis Cassini Abbas, & Re- *c. 42.*  
 gni Neapolitani Cancellarius hasce  
 quæstiones numero duodecim publi-  
 ci juris fecit, & affirmativam tenuit,  
 tantisque firmavit rationibus, ut at-  
 tentam mererentur reflexionem; plu-  
 resque celebriores Theologiæ ac  
 Juris Doctores impellerentur, ut ejus-  
 modi quæstiones agitent, & juxta  
 illius sententiam resolverent.

## §. X.

*Urbanus sex Cardinales custodiae man-  
 cipat, & severius castigat.*

Urbanus, hanc conjurationem per  
 Cardinalem de Manupello ex Ur-  
 finorum familia, edoctus, consisto-  
 rium coegit, periculum sibi imminens  
 expositurus; quo finito sex Cardina-  
 les, quos cum ingenii præstantiores  
 essent, flagitii magis complices suspi-  
 cabatur, comprehendi, vinculis onu-  
 stos ergastulis includi, & iteratis tor-  
 mentis subijci jussit. Horum pri-  
 mus,

mus, nomine Gentilis de Sangro manibus, pedibusque ligatus coram Pontifice in eo arcis loco, ubi quæstioni subjiciendus esset, producitur; dein solo indusio & caligis indutus, cetera nudus, loris arcte constrictus, atque suspensus in quæstionem postulatur. Altera die Ludovicus Donatus Cardinalis Venetus equuleo torquetur. Decrepitus iste, ac viribus fractus a matutinis horis usque ad prandium tam immani cruciatu exercebatur, ut Pontifex in horto deambulans, facile ejusdem ejulatus percipere potuerit. Hæc omnia Theodorus Niem testis oculatus literis mandavit (\*). Quatuor reliqui Cardi-

---

(\*) Continuator autem ex Gobelino Cosmodr. ætat. 6. c. 78. pariter auctore coævo, tunc temporis Beneventi agente, & rei veritatem studiosissime indagante causam, & conspirationis enormitatem recensere debuisset: hic conjuratorum consilium fuisse testatur: *Quod quilibet eorum, quando ad consistorium ascenderent, duodecim familiares arma tegentes se facerent anteire, Papam caperent, & ei certi articuli objici deberent, quibus & sententiæ executio*



Cardinales erant Adamus Astonus, Episcopus Londinensis, Bartholomæus de Cacurno, vel Cothurno, Archiepiscopus Genuensis, Joannes de Capua, Corcyrensis Archiepiscopus, & Marinus de Judice, Archiepiscopus Tarentinus.

## §. XI.

*Carolus de Dyrrachio Nuceriae Urbanum obsidet.*

Carolus ira in Urbanum accensus, eo quod ipsum non solum repeti-  
 to anathemate; Regnum vero Nea-  
 polis interdicto perstrinxisset, sed  
 etiam Regem, & Reginam Margari-  
 tham scepro spoliasset, valido exer-  
 citu, sub Duce Cardinale Reatino,  
 jurato Urbani inimico, Nuceria, ubi  
 tum Papa morabatur, obsidione  
 cingit. Oppugnati, utpote armis  
 parum

*Summon.  
lib. 4 cap. 2.  
Bloud. 2.  
dec. 10. p. 248*

*cutio per ignem fieret, & deinde Cardinales alium, quem jam determinabant, Papam crearent. De diverso Niemi & Gobelini partium studio vide Spondanum contin. Annal. ad an. 1385. §. 2. & ad an. 1386. §. 10.*

parum affueti, ignava manu hostium impetus sustinent, Papa tamen ter singulis diebus ex arcis fenestra cum tintinabulo, & candelis accensis hostiles copias excommunicabat. Urbs tandem capta, & arx ad tantas redacta angustias, ut abs dubio Pontifex in hostium manus venisset, nisi opportuno auxilio salutis suæ consultum fuisset; Quippe Raymundus Ursinus adjuvantibus Thoma Sanseverino, egregio residuæ Andegavenfis factionis Duce, & Lothario Suevo Germanorum militum Præfecto, sylvam quamdam in obliquam viam excindi iussit, quo facto, omnes hi tres Principes cum copiis suis obidentium castra invadunt, iisque qua gladio interemptis, qua fuga dilapsis, urbem primo, mox arcem ingressi, Urbanum unacum suis Cardinalibus, ac reliquo comitatu non sine ingenti labore, atque periculo hostibus eripiunt, ac in portum quemdam, Barulum inter & Tranium, incolumem deducunt, a Genuensium triremibus tandem exceptum. In hac expeditione

tione illud memoratu dignum, quod iidem, qui olim Clementis VII. Fauctores adversus Carolum fuerant, jam Urbani Liberatores exstiterint.

Pontifex sex illos Cardinales caute custoditos secum duxerat, veritus, ne fuga elaberentur. Theodori Niemi, qui Urbano a secretis erat, testimonio discimus, quod Episcopus Aquilanus, cum ob vitium equi, & ob contractam e tormentis, quæ passus fuerat, corporis sui infirmitatem ita velociter, ut Papæ libuisset, procedere haud valeret, iussu Pontificis jugulatus, aut verius dicam, sicut bos maectatus fuerit (\*). Ceteros vero Pontifex, cum Genuam applicuisset, variis suppliciis affectos tandem trucidari præcepit, nihil precibus omnium eorum, qui pro captivorum Cardinalium salute intercedebant, proficientibus. Soli tamen

---

(\*) Continuator sequentia tamen Spondani verba addere debuisset: *Cujus tamen inhumanissimæ crudelitatis ceteri Auctores non meminerunt.*

*Walsing.  
Richard. II.* tamen pepercit Adamo Astono, Londonensi Episcopo, nuncupato Cardinali S. Cæciliæ, qui in gratiam Richardi Angliæ Regis vitæ veniam obtinuit, omnibus tamen suis beneficiis, & dignitatibus exutus, atque depositus. Qua acerbitate etiam sibi maxime devinctorum animos a se alienabat. Quapropter eodem ferme tempore Pileus de Prato seu de *Corneto. Prata* Ravennas Archiepiscopus Castri novi Præfectus, nec non Galeottus Tarlatus de Petra - mala, dimisso Urbano, Avenionem ad Clementem defecerunt.

## §. XII.

*Cardinales ab Urbano creati.*

*Niem. c 45.* Horum, aliorumque in sacro Collegio vacantes Sedes repleturus Urbanus, altero post Epiphaniam die Anno 1385. septendecim Cardinales creavit, omnes ferme Germanos, aut Neapolitanos, utramque nationem, præprimis vero Neapolitanam potenter sibi hoc beneficio obstricturus. Ast

Ast Germani, quos inter erant tres Electores Archiepiscopi, Adolphus Moguntinus, Fridericus Coloniensis, & Conon Trevirensis, nec non Arnulphus Leodiensis, & Wenceslaus, Wratislaviensis Episcopi, ac Petrus de Rosenberg Presbyter ex nobili Bohemorum familia ortus, hanc dignitatem acceptare recusant: quamvis ceteroquin Urbanum colerent, & ipse eis liberam Ecclesiarum suarum administrationem tam in spiritualibus, quam temporalibus reliquisset; Neapolitani quoque, licet sibi hunc honorem deferri gauderent, nihilominus indignationem Caroli metuentes, palam se prodere ausi non sunt; imo ipse Urbanus fors eadem ex causa hanc promotionem antea publicam non reddidit, quam Regno Neapolitano, ubi omnia periculis plena, excessisset.

*Gobelin.  
Person. Cos-  
mod. et. lib.  
6. c. 84.*

Verum haud diuturna fuit Regis Neapolitani persecutio in Urbanum intentata: Præmatura enim illius mors tot mala, quæ ab eo perpeffus est Pontifex, ulcisci, ac effræni hujus

hujus Principis ambitioni metam ponere visa est. Nam Ludovicus Hungariæ Rex ante triennium fatis functus, Mariæ primogenitæ Filiae suæ regnum reliquerat, ejus tamen administrationem, ac junioris Reginæ tutelam Elisabethæ Matri ejus interim concedidit, donec ipsa sublato ætatis impedimento Sigismundo Caroli IV. Imperatoris Filio desponsaretur. Elisabethæ regimen a principio Hungaris ratum, acceptumque erat, sed paulo post muliebri imperio fastidire, eoquod totam rerum summam in Nicolaum Garam Regni Palatinum transtulisset. Quare Episcopum Zagabriensem clam ad Carolum ablegant, ut Hungaricum diadema eidem offerret; quod ipse lubens acceptavit, & Baruli conscensa navi, modica suorum manu primum Dalmatiam tribus triremibus stipatus, inde terrestri itinere Zagabriam, ac demum Budam pervenit.

## §. XIII.

*Carolus Dyrrachus Hungariæ regno  
potitus.*

**O**mnibus ad inaugurationem dispositis, die ultima Anni 1386. Carolus Hungariæ Rex coronatus est. Sed Regina Elisabetha, quam Rex prius dolo circumvenisse putabat, ipsa eundem fraude vicit. Primum enim Carolo suggerit, Sigismundum, qui paucis ante adventum Caroli diebus, & connubio cum Maria Budæ contracto in Bohemiam redierat, facile ad sibi cedendum Hungariæ Regnum induci posse: Dein post aliquos inaugurationis dies Carolum simulatis majoris momenti literis, quas eidem communicaret, ad partem Regiæ, quam inhabitaverat, accedere rogat.

## §. XIV.

*Cædes Caroli Dyrrachii Neapolitani  
Regis.*

**V**enit Carolus, & suis, qui eum comitabantur, interim in anteriore

*Hist. Eccles. Tom. XXV. g cubi-*

*Bonfin. 3.* cubili expectantibus, Nicolaus  
*Dec. I.* Gara per secretam portam erum-  
*Antonin. tit.* pens, validissimo cuidam Hungaro,  
*22. c. I. §. 15.* nomine Forgacio, ut Carolum truci-  
daret, imperat, qui illico caput ejus  
acinace suo medium difsecuit. Hunc  
tandem vitæ finem fortitus est Rex  
iste, non nisi unum, & quadraginta  
annos natus. Præfectus Croatiae  
Regis Caroli, cui plurimum favebat,  
necem ulturus, Elifabetham in flumen  
projici, Sigismundus autem ad ca-  
pessendas regni habenas paulopost re-  
diens, parricidam comprehensum per  
præcipuas Hungariæ urbes circum-  
vectum, candentibusque forcipibus  
frustatim discerptum, lenta morte oc-  
cidi jusserat.

Fama mortis Caroli Neapolim  
mense Februario delata est eo ipso  
tempore, quo coronationis suæ in Re-  
gem Hungariæ solemnia, publicis  
lætitiis, ac ludicris certaminibus ce-  
lebrata fuere. Interim Regina de-  
functi Conjux, turbas, quæ ex tam  
fatali fama suboriri possent, præven-  
tura, Ladislaum seu Lancelotum Fi-  
lium



hūm suū, paulo majorem decennio juvenem, Regem proclamari voluit, cujus Regni auspiciā sub cura Reginae Matris suae oppido tranquilla erant. Verum suscitata inter eandem, & Regni Magistratus dissensione, hi octo viros ex ordine suo selegerunt, quibus summam rerum plena cum potestate deferebant. Clemens Papa in turbido piscandum ratus, *Niem. de schism. lib. 1. c. 64. & seq.* Ottonem Brunsvicensium Ducem demortuae Joannae Reginae Maritum in Italiam ablegat, qui ingenti gaudio exceptus, tanta dexteritate rem gessit, ut Neapolitani Juvenem Ludovicum Andegavensem suum Regem salutarent, quo facto regnum hoc in obsequium Clementis transit.

## §. XV.

*Complures Principes Clementi obedientiam professi.*

Sub idem ferme tempus duo alia Regna sese Clementis obedientiae devovent. Petrus quidem Arragoniae Rex usque ad finem vitae suae

g 2 neutri

neutri Pontificum adhærebat; Joannes vero Filius ejus, ac Regni successor coram Cardinale Petro de Luna convocatis imperii sui Prælati, atque Optimatibus, eorum suafu Clementis VII. obedientiam adoptabat, Castellanorum exemplum secutus, quibus pariter Carolus Nobilis, qui Carolo, cognomento *Mato*, in regno Navarræ successerat, sese adjunxit. Itaque tota Hispania, sola excepta Lusitania, Clementem verum Pontificem venerata est. Interea tamen S. Catharina Senensis tristem Ecclesiæ statum amare deslens, permultas ad Reges & Principes epistolas dedit, in quibus eos qua monitis, qua revelationibus ad Urbani obedientiam allicere, aut in ea firmare conata est; Hunc enim solum semper pro legitimo Pontifice habuit. Mortua est virgo sancta Romæ die vigesima nona Aprilis An. 1380. ætatis suæ trigesimo tertio, corpore morbis ac doloribus ex assiduis jejniis, vigiliis, aliisque austeritatibus penitus attrito. Quam octuagesimo post obitum

tum

tum ejus anno Pius II. Papa sanctarum Virginum Catalogo inscripsit.

Interea Clemens contra æmulum suum, qui ob atrocem quinque Cardinalium cædem plurimorum invidiam incurrerat, indefessum restituendæ pacis studium ostentare conatur, hac via rebus suis ampliora conciliaturus incrementa. Quare consiliis, ac efficacissimis Parisiensis Academiæ monitis morem gerens, ubivis terrarum Legatos, & nuntios suos decernit, qui suo nomine Synodum convocandam esse exponerent, seque illius decisioni plene obtemperaturum sponderent; Urbanus vero parem subjectionem recusavit, quam ob rem magnum Rhodiorum Magistrum a sua obedientia abalienavit.

§. XVI.

*Quidam Pseudo-Eremita abdicationem  
Papatus Urbano suadet.*

Circa idem tempus quidam natione Gallus, sumpto Eremitæ habitu

*Gobel. Per-*  
*son. Cosmod.*  
*p. 308.*

tu Prophetam se simulans, Genuam ad Urbanum tunc temporis ibi degentem pervenit, equo vectus, & quatuor famulis stipatus, se a Deo missum jactitans, ad Pontificis alloquium intromitti petit. Postera die Urbanum accedit, nigra talari veste indutus, barbæ suæ prolixitate, ac externa corporis inclinatione humilem animum præferens, qui se Latini idiomatis ignarum esse professus, similibus vero lingua vernacula Papam alloquitur: *Domine ad vos venio, ut ob Dei Ecclesiæ unionem vobis annunciem ea, quæ mihi revelatione divina sunt patefacta. Ego quidem jam annis quindecim contemplationibus vacans in eremo, sanctissimum Patrem, & Dominum Clementem verum summum Pontificem, & Christi Vicarium, vosque pseudopapam esse revelatione divina percepi; quare ob Ecclesiæ Dei pacem, animæque vestræ salutem abrenuntiare papatui dignemini.*

Cumque Urbanus ex eo sciscitaretur: Unde sciret hanc præsentem  
revela-

revelationem vere a Deo factam esse? nil aliud ad confirmationem sui dicti afferre poterat, quam quod, si imposturæ convinceretur, quævis corporis tormenta subire paratus esset. Dumque plura fabularetur, Pontifex opportune Hypocritam in annulo suo insignem gestare gemmam observavit, dixitque ad eum: *Eremitæ annulos deferre non solent, undenam ergo tuum accepisti?* respondit: *Donum est sanctissimi Papæ Clementis.* Urbanus hunc anulum sibi tradi petiit, quem cuidam, qui se necromantiæ gnarum jactitare solebat, consignavit: Fatuum vero Eremitam cum duobus famulis (ceteri enim fuga evaserunt) in carceres conjici jussit. Hic vero, & familiares ejus seorsim tormentis subacti sunt, & impostor fictam suam revelationem non nisi diabolicam suggestionem fuisse confessus est; quam ob rem certe capitis poenam subiisset, nisi quidam Prælati Galli Urbano adducti intercessissent, caussati, timendum esse, ne & Pontificis amici ac fauto-

res pœna talionis eadem paterentur in Galliis, novisset enim, hunc Eremitam speciali Regis Franciæ favore suffultum, ac nobilitate generis conspicuum esse. Igitur veniam obtinuit, indicta tamen multa, quod ipse barba rasus, finita Summi Pontificis Missa in Ecclesia publice palinodiam caneret, & præter Urbanum nullum verum esse Papam profiteretur. Quo factò carcere solutus, & restituito annulo versus Franciam viam suam consentiente Papa relegit (\*).

## §. XVII.

*Cardinalis Petrus Lucemburgicus.*

*Niem. l. I.  
c. 66.*

Firmiori argumento, quam spurii hujus Eremitæ revelationibus, Clementis obedientia insignibus miraculis, quæ Deus per famulum suum Petrum de Lucemburgo Cardinalem hoc anno operabatur, corroborata cense-  
cense

(\*) Spondanus ad an. 1386. §. 10. totam hanc historiam ad fabulas rejicit, cum apud nullum fide dignum reperiat auctorem, præter Krantzium, ex quo eam Gobelinus descripsit.

cenferi poffet. Hic Filius erat Guidonis Lucemburgi I. Comitis de Lignano in Ducatu Barenfi, & quarto affinitatis gradu Wenceslao Imperatori, ac Sigismundo Hungariæ Regi junctus. Matrem habuit Machildem Castelloniam Comitiffam S. Pauli. Petrus emenfo Parisiis Philofophiæ ac Juris curriculo, in Cathedrali Ecclefia dictæ metropolis Canonicatum obtinuit, indeque ob morum & vitæ fanctitatem primum Carnotenfis Archidiaconus, demum anno decimo quinto ætatis fuæ Metenfis Epifcopus designatus eft. Biennio poft a Clemente, quem una cum tota Francia verum Pontificem venerabatur, Avinionem evocatus, brevi Cardinalis Diaconus tit. S. Georgii ad velum aureum creatur, adjuncta quoque Metenfis Epifcopatus adminiftratione. Eodem adhuc anno jamjam ad finem vergente, ex vitæ fuæ austeritate in morbum fat diuturnum incidit, quo etiam pie decedit fecunda die Julii 1387. anno ætatis duodevigefimo, minusve de-

*Froissard. 3.*  
*vol. c. 100.*

cem diebus. Ad cuius sepulchrum, ut testantur Historici, infinita propemodum patrata fuere miracula, atque inter illa quadraginta duo mortui ad vitam resuscitati. Quibus valde exaltata est Clementis factio, nam cum viderent homines, quod Deus hujus viri sanctitatem adeo luculentis comprobata faceret argumentis, nequaquam illum Pseudo-Cardinalem fuisse, ac proin nec Clementem, a quo creatus erat, Antipapam, credere poterant; Sique nonnullis Scriptoribus fides habenda, ea re plures quoque Urbani fautores titubare cæperant. Ceterum Petrus de Aliaco fortiter perorabat, ut Clementem VII. ad illius Canonizationem permoveret, quam tunc temporis non obtinuit, sed primum alius Clemens itidem septimus in Sæculo decimo sexto illum Beatorum honore coli concessit.

*Hist. Uni-*  
*vers. Paris.*  
*tom. 4. sæc. 6.*

## §. XVIII.

*Propositiones Joannis de Montefono.*

*Meyer l. 14.*  
*an. 1388.*

Eodem anno 1387. quidam Religiosus ordinis FFr. Prædicatorum,



rum, Joannes Montefonus nomine *Hist. Univ. Paris. tom 4 p. 618. Gerson. to. 2.*  
 Theologiæ Doctor, Valentiaë in Catalonia natus, partim in actu *vesperiarum*, partim in actu *resumptæ*, necnon & in lectionibus publicis plures docuit propositiones, quæ erroneæ videbantur, quatuordecim articulis comprehensæ. I. *Major est unio hypostatica in Christo, quam unio trium personarum in essentia increata.* II. *Possibilis est aliqua pura creatura, perfectior Christi anima in merendo.* III. *Creatura rationalis potest etiam in suis puris naturalibus beatifice Dei essentiam intueri.* IV. Coincidit fere cum quinta. V. *Creatura pura, si poneretur, esset simpliciter extra genus.* VI. *Ponere aliquod creatum, vel aliquam Creaturam esse, simpliciter & absolute necesse esse, non est in aliquo contra fidem.* VII. *Necesse esse, non repugnat esse causatum.* VIII. *Magis consonum est fidei, ponere aliquid citra primum esse absolute & simpliciter necesse esse.* IX. *Afferere aliquid verum, quod est contra Scripturam sacram, est expressissime*

*ssissime contra fidem. X. Non omnem hominem præter Christum contraxisse ab Adamo peccatum originale, est expresse contra fidem. XI. B. V. Mariam non contraxisse peccatum originale est expresse contra fidem. XII. Tantum contra Scripturam sacram est, unum hominem esse exemptum a peccato originali præter Christum, sicut si decem homines ponerentur exempti. XIII. Magis est expresse contra Scripturam sacram beatam Virginem non esse conceptam in originali, quam asserere illam fuisse simul beatam, & viatricem ab instanti suæ conceptionis vel sanctificationis. XIV. Expositio S. Scripturæ trahenda est ex Scriptura sacra, & non aliunde.*

Hosce errores Montefonus retractare a Decano facultatis jussus, ac leniter admonitus, non modo recusavit, sed & illos ad mortem usque se defensurum professus est; hinc primum sacra Theologiæ facultas Parisiensis, demum tota Universitas has propositiones censorio judicio confixit,

xit, atque damnavit, tanquam falsas, temerarias, scandalosas, atque fidelium pietati contrarias, hæcque eorum censura ad Petrum de Ordeomonte Parisiensem Episcopum tanquam ordinarium ejusmodi causarum judicem delata est, qui Joannem Montefonum ad se vocavit, eoque non comparente die veneris 23. Augusti sententiam tulit, qua has quatuordecim propositiones a quovis defendi, aut prædicari, publice vel secreto doceri, lata excommunicationis sententia ipso facto incurrendæ prohibuit, illiusque absolutionem sibi Soli reservavit. Præterea hunc Religiosum, si opus fuerit, invocato etiam brachio sæculari, comprehendi, & incarcerari præcepit. Inquisitor, seu Episcopi Vicarius Generalis, forte cum ejusdem ordinis membrum esset, neque causæ accedere, nec judicio interesse voluit.

§. XIX.

## §. XIX.

*Montefonus a sententia Parisiensis  
Episcopi provocat ad Clemen-  
tem VII.*

Joannes de Montefono a sententia  
Episcopi Parisiensis ad Papam  
Clementem VII. tunc temporis A-  
venione residentem appellat, ipsus-  
que eum convenit, suam appellatio-  
nem in Curia defensus. Verum  
Parisiensis Academia eo delegat Pe-  
trum de Alliaco magnum Collegii  
Navarræ Magistrum, Ægydium de  
Campis, vulgo des champs, Joannem  
de Nova Villa ordinis S. Bernardi,  
& Petrum Alanvillam Juris Canoni-  
ci Doctorem. Hi deputati non mo-  
do in Palatio Pontificis benigne ex-  
cepti, plurimisque honoribus cumu-  
lati, sed etiam privatim, & in publi-  
co Patrum senatu tribus continuis  
diebus auditi fuerunt, ubi etiam Pe-  
trus de Alliaco ad tuendam universi-  
tatis censuram, & Parisiensis Episco-  
pi sententiam sermonem habuit tanta  
rationum soliditate firmatum, ut Pon-  
tifex

tifex Univerſitatem, ceu fœcundam tot inſignium Virorum Matrem publico elogio deprædicaverit. Cardinalis Embrodunenſis nomine Papæ Montefonum curia Papali exulare jubet, donec ejus cauſſa finita eſſet. Verum Monachus ſententiam ſibi nequaquam propitiam fore, & Parisios ad palinodiam cantandam ſe remiſſum iri ſuſpicatus, clam Avenione diſcedens, Arragoniam petiit, ubi Urbani VI. obedientiam profeſſus, contra Clementem VII. jura Urbani VI. edito opere propugnabat.

## §. XX.

*Montefonus a Papa damnatur.*

Eo diſcedente Pontifex Guidonem Præneſtinum Cardinalem tit. S. Sixti, & Amelium Cardinalem S. Euftachii in ea cauſſa Judices conſtituit, contra Montefonum damnationis ſententiam laturos. Itaque Avenione in domo ſua quæſitum, & accepta diſceſſus ſui die 3. Auguſti 1388. notitia, publico edicto eundem in jus  
voca-

vocarunt, tanquam contumacem, & ut talem excommunicatum esse declararunt, præcipientes hanc anathematis sententiam solemniter publicandam, omnesque, qui cum eo aliqua societate uterentur, eandem poenam incurfuros. Data est hæc Cardinalium sententia die 27. Januarii 1389, & die 17. Martii ejusdem anni Parisiis promulgata; Ferrio quoque Cassinelo, Episcopo Antisiodorensi injunctum, ut hanc sententiam Regi porrigeret, ejusdemque executionem urgeret, sed illum in concedita sibi provincia immoderatiore fervore excessisse, ex turbis, quæ brevi subsequerentur, conjicimus.

## §. XXI.

*Decretum Universitatis.*

*Hist. Univ.  
Paris. tom. 4  
§. 618.*

Facta hac Montefoni damnatione Academia decretum edidit, quo e sacræ facultatis gremio omnes, qui jurato Religiosi hujus errores damnare detrectarent, abscissos declarat, cavetque, ne deinceps ullus ad gradus

& ff  
 na-  
 ou-  
 eo  
 em  
 ec  
 Ja-  
 em  
 rio  
 io-  
 en-  
 ue  
 in  
 ra-  
 uæ  
  
 A-  
 e  
 qui  
 da-  
 at,  
 ra-  
 lus

dus Academicos admitteretur, nisi prius pari juramento sese obstrinxisset. Dominicani huic censuræ subscribere recusant, falso arbitrati, S. Thomæ doctrinam hoc judicio petitam. Propterea ab Academia excluduntur, sibi que tantam conciliant invidiam, ut ab omnibus ecclesiasticis functionibus, prædicandi, ac confessiones excipiendi munere arcerentur, nec ultra a fidelibus solidas obtinerent eleemosynas. Quam obrem ad Clementem Papam recurrunt, & habito Anno 1389. in Provincia Tolosana Capitulo Generali, ex suo ordine decem nominant Doctores, qui in curia Pontificia causam S. Thomæ contra Parisiensem Academiam propugnarent, pensione ad subeundas itineris expensas necessaria, singulis Religiosis, & quidem Doctoribus viginti, reliquis vero decem solidorum indicta. Tunc primum Academia Apologeticum composuit tractatum, quem ad calcem operum Magistri sententiarum reperies, & in quo Montefoni propositio-

Hist. Ecclesiast. Tom. XXV. h nes

nes merito damnatas, & latam ipsius sententiam nullatenus S. Thomæ doctrinam labefactare ostenditur. Dominicanos a Pontificis curia benignam obtinuisse sententiam haud legimus, econtra certum est, quod ad redimendam juste sibi illatam vexam, festum conceptionis B. V. cum ceteris fidelibus celebrare, & imposte- rum illam in peccato conceptam esse, nunquam publice docere, imposito eis silentio, coacti fuerint. Hac tandem via ad pacem, & pristinum functionum suarum exercitium regressi sunt, nihilominus ultra vigesimum quintum annum ab Academia Parisiensi mansere separati, eoquod Joannis Montefoni confratris sui propositionum censuram præstito jurejurando ratam habere renuerent.

## §. XXII.

*Dominicani Decreto Universitatis  
subscribunt.*

*Hist. Univ. Paris. tom. 6* Postliminio tamen ad anxias Regis Galliae preces Academia Domi-  
nicia-



nicanis die 21. Augusti anno 1401. pristina reddidit privilegia, ea tamen lege, ut appellationi contra decretum Facultatis interpositæ renuntiarent, omnesque impofterum eidem facultati aggregandos, dicto decreto parituros esse pollicerentur. Primum tamen post Concilium Basileense An. 1496. Academia solempne istud condidit decretum, quo universis suis membris deinceps assumendis, piæ sententiæ de immaculata Conceptione subscribere præcepit. Quorundam Scriptorum fide habemus, Joannem Duns, cognomento Scotum ineunte decimo quarto Sæculo, cum in Franciam venisset, in quodam publico confessu Beatam Virginem immaculate conceptam docuisse, tamque validis comprobatis argumentis, ut Academia Parisiensis veritatis pondere victa legem tulerit, vi cujus omnia ejusdem membra hanc doctrinam tenerent, & ad eam tuendam jurejurando se adstringerent. Dupinus tamen hanc Historiam fabulis accenset, dicitque, Scotum o-

h 2                      pinio-

pinionem de immaculata Conceptione nullatenus tanquam dogma suo ævo certum, sed mere per modum opinionis probabilis exposuisse.

## §. XXIII.

*Sententia Scoti de Conceptione B. Virginis.*

*Scotus in 3.  
sent. dist. 3.*

Scotus enim, postquam sequentem sibi proposuerat quæstionem: utrum Beata Virgo fuerit concepta in originali peccato? hoc dubium absolvit triplici conclusione. Percipe illius verba: *Ad quæstionem dico I. quod Deus potuit facere, quod ipsa nunquam fuisset in peccato originali. II. Potuit etiam fecisse, ut tantum in uno instanti esset in peccato. III. Potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, & in ultimo instanti illius temporis purgaretur.* Probat hisce tribus propositionibus concludit. *Quodnam autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibile, factum sit, Deus novit, si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati*

*ritati Scripturæ non repugnat, videtur probabile, quod excellentius est, attribuire Mariæ &c.*

Ecce qualiter Scotus suam mentem circa immaculatam Conceptionem explicet. Quamvis jam nunc paulo fusius in hanc quæstionem excurrisse videamur, occasione nacta ex iis, quæ Clemens VII. Pontifex in hac caussa gesserat, nihilominus adhucdum redibit sermo in Historia Concilii Basileensis, ubi de decreto hujus Synodi in hanc rem condito differemus.

§. XXIV.

*Urbanus Papa Romam redux.*

Urbanus Papa Genua Perusium *Niem. l. 1. c. 69.*  
 abiit, ibique integro substitit anno. Huic Germani quædam media finiendæ dissensionis cum ænulo suo proposuere, quibus tamen furdas præbuit aures, Regni Neapolitani curis totum ejus animum absorbentibus, sceptri jura sibi soli, non vero Ludovico Andegavensi, aut Ladislao

competere ratus. Ergo mense Augusto jamjam senescente, copiis suis stipatus, Perusio egreditur, Narniam iturus; cum autem vix decimo miliario abesset Perusio, cespitante mulo, cui insidebat, duro lapsu variis corporis partibus læsus, præceps in terram ruit. Quapropter Tibur oppidum trans Romam situm, ac inde Ferentinum usque prope Neapolis confinia vehiculo delatus processit, de regni hujus imperio desperans. Cum vero Andegavenfes copiarum transitum intercluderent, & aliunde ad solvenda militibus stipendia pecuniæ deessent, ingruente quoque hyemis rigore, Romam redire coactus, eo pervenit ad initium Octobris, ubi parcas vitæ suæ reliquias satis quiete transegit. Tres referuntur Bullæ eo tempore editæ, prima Jubilæi tempus ad quemlibet annum trigessimum tertium reduxit in memoriam ætatis Christi. Secunda, festum Visitationis B. Virginis die 2. Julii in perpetuum celebrari decrevit. Tertia denique statuit, ut non obstan-  
te

te interdicto ecclesiastico, festum Corporis Christi publice celebrari possit, eisque qui S. Eucharistiam, cum ad infirmos deferretur, comitentur, centum dierum indulgentias impertivit.

## §. XXV.

*Mors Urbani Pontificis.*

Ineunte mense Augusto graviter ægrotare cæperat, & venenum sibi Hist. Conc. Pisan. propinatum fuisse, a pluribus creditum est. Theodoricus Niemus, qui huic Papæ a latere erat, Urbanum *sumpto veneno* decessisse scribit. Quæ verba Infantius interpretatur, Urbanum seipsum veneno occidisse. Nos hisce fabulis non immoramur; certum enim est, quod morbo circa medium Septembris magis magisque ingravescente, & per viginti octo dies continuos perdurante, die 15. Octobris 1389. obierit, postquam Sedem undecim annis & octo diebus, vitam autem annis septuaginta duobus servasset. Sepultus in Basilica S. Petri

in facello S. Andreae. Cardinales, qui Romæ erant, illico obedientiæ suæ Principibus significant Pontificis obitum, paucis admodum lugentibus, fere omnibus applaudentibus, si propinquos excipias, atque fautores, præcipue autem tanto Pontifice indignum Nepotem Pregnanum, qui postea ab inimicis suis captus, omnium bonorum suorum jactura libertatem redimere coactus est, tandem vero unacum matre, liberis, & uxore Venetias navigans, ut ibidem asylum reperiret, Adriatici maris fluctibus absorptus misere periit.

Extincto hoc Pontifice non modica simul tollendi quoque schismatis spes affulgebat; nec vana prorsus, si utriusque obedientiæ Cardinales vel Clementem confirmare, vel novum Papam eligere, communicatis consiliis allaborassent. Postquam die 30. Octobris Carolus VI. Galliarum Rex Avenione Clementem Papam invisurus advenerat, ab eoque pro Joanne Talaro Lugdunensi Archiepiscopo non modo purpuram Cardi-

Cardi-

Cardinalitiam, sed etiam pro se facultatem pauperes regni sui Clericos ad quatuor Episcopatus, ac septingenta quinquaginta beneficia nominandi obtinisset, Cardinales Avenionenses Regem induxerunt, ut Imperatori, aliisque Urbani obedientiae olim addictis Principibus scriberet, & Cardinales Italiae moneret, ne novi Pontificis electionem praecipitarent, sed potius cum reliquis praevie sua conferrent consilia. Sed haec quoque cautela omni penitus successu caruit.

## §. XXVI.

*Bonifacius IX. in Urbani VI. locum eligitur.*

Quatuordecim Cardinales Itali Romae morantes, ex quibus non nulli Papatum ambiebant, absque ulteriori mora, nec expectato aliorum consilio, quo a tam praecipiti proposito potuissent absterreri, electionem tumultuario consilio accelerant, veriti, ne alius natione Gallus eisdem obtruderetur. Itaque die 2.  
h 5                      Novem-

*Theod. Uri.*

*l. 3. dist. 7.*

*Ciaccon. in*

*Thoma.*

*Card.*

*Niem. l. 2. de*

*fchi/m. c. 39.*

Novembris Petrum seu Perinum Thomacellum, vulgo Cardinalem Neapolitanum dictum, in Pontificem eligunt, virum annos circiter quadraginta natum, ac nobili quidem, sed paupere admodum familia Neapoli ortum. Hic nomen Bonifacii IX. assumpsit. Theodoricus Niem, qui eidem pariter ab epistolis erat, in ejus laude oppido parcus est; Vitio datum, quod in negotiis publicis, & Curiae Romanae stylo crassa laboraret ignorantia, passim ac sine examine omnibus, quaecunque exhiberentur, subscriberet, & potius insatiabili matris ac fratrum suorum avaritiae indulgens, quam propriae cupiditati inhians, simoniae in curia sua exercendae licentiam conniventer permetteret, saepe enim beneficia, aliaque res sacrae impune vendebantur (\*).

## §. XXVII.

(\*) Audiatur Illustrissimi Spondani Epiphonema ad annum 1389. §. 7. *Magis omnino existimo, Niemum (idem intellige de Platina) aliqua re offensum fuisse Bonifacio, aliisque Pontifi-*



## §. XXVII.

*Bonifacius quatuor creat Cardinales.*

Sub initium Pontificatus sui tres Urbani VI. Bullas, de Jubilæo, festo Visitationis, & Corporis Christi confirmavit, die vero 18. Decembris quatuor creavit Cardinales, Henricum Minutulum Neapolitanum Archiepiscopum, Bartholomæum de Uliariis Episcopum Florentinum ex Ordine Fr. Fr. Minorum, Cosmatum Melioratum, Episcopum Bononiensem, qui postea sumpto nomine Innocentii VII. Pontificatum obtinuit, & Christophorum Maronem Iterniæ in Provincia Capuana Episcopum. Alios quoque tres Cardinales ab Urbano VI. depositos restituit, nempe Adamum Astonum Londinensem Episcopum, Bartholomæum de Mazzavacca, Episcopum Reatinum, & Lan-

*Pontificibus, quos iisdem obreftationibus, & maledicentiis impetit (quod sæpe majoris etiam nominis viris contigit) quam ut vera cuncta esse credamus.*

Landulphum Metamorum, Barensem Archiepiscopum dictum, insuper & Cardinalem Pileum de Prato, qui a Clemente ad Bonifacium defecit, ab eoque tanquam Cardinalis agnitus est.

Clemens quoque præter sex Cardinales, quos sub initium Pontificatus sui creaverat, nempe Jacobum de Vissive de Ithro Archiepiscopum Hydruntinum, & postea Patriarcham titularem Constantinopolitanum; Petrum Amelium ex Alvernia Monachum Benedictinum, & Eboradunensem Archiepiscopum; Nicolaum de Brancatiis Neapolitanum, & Caussarum Palatii Apostolici Auditorem; Petrum de Barreria Diocesis Ruthenensis Episcopum Augustodunensem; Nicolaum de S. Saturnino Ordinis Prædicatorum, & Leonardum de Giffono Italum Minoritam, præterea hoc anno 1390. ad Purpuram promovit Martinum de Saloa Episcopum Pampilonensem, & Caroli III. Navarræ Regis Cancellarium. Cognita Bonifacii electione

ctione hi duo contendentes mutuis maledictis, & excommunicationibus pro more, schismatis tempore jam usitato, se invicem proscindebant; indeque dissidii flammæ acriori longe furore debacchari, totaque Italia & magna Europæ pars funesto bello flagrare, eoquod ad successionem in Neapolitano Regno Ludovicus Andegavensis in locum Patris sui a Clemente vocatus, econtra vero Ladislaus Hungariæ Rex, Caroli Dyrrachii Filius a Bonifacio IX. declaratus esset.

## §. XXVIII.

*Ludovicus Andegavensis, & Ladislaus pro Regno Neapolis bello congregiuntur.*

Carolo VI. Galliarum Rege in Avinionensi urbe morante, Ludovicus II. Andegavensis ibidem Neapolis Rex salutatus est, ipso Clemente Papa eidem coronam imponente. Bonifacius quoque hoc diadema suæ liberalitati deberi exoptans, rescissis omni-

omnibus, quæ Urbanus contra Carolum Dyrrachium, ejusque filium Ladislaum decreverat, juvenem hunc Principem Anno 1390. per Angelum Acciajolum Cardinalem, & Episcopum Florentinum, eo fine ablegatum Cajetæ coronavit. Prævie mentem suam cunctis Siculis, cis Pharum, id est, in Neapolis Regno confidentibus aperiens, jussit, ut Ladislao, qui tunc non nisi septimum decimum ætatis annum agebat, & Cardinali Legato ejusdem Tutori, nec non Reginae Matri ac Tutrici illius, donec ad legitimam perveniret ætatem, tanquam Regi suo obedirent. Quo factò Ludovicus Andegavensis cum valido exercitu, ac copioso comœatu Neapoliniter aggressus est, comitante Petro de Turrejo, quem Clemens ad Rebelles, & schismaticos compescendos Legatum adjunxerat.

Igitur Ludovicus die 20. Julii cum quatuordecim triremibus, octo præsidiariis, & totidem bellicis navibus instructus, magnoque nobilium comitatu stipatus e portu Massiliensi solvit,

solvit, & die 14. Augusti Neapolin secundo vento appullus, urbem per portam Capuanam ingressus est, undique acclamante populo, *vivat Rex Ludovicus II.*! mox binas urbis arces, quæ Ladislao adhucdum parebant, suæ potestati subjicit, & Puteolin civitatem occupat. Nedum tamen prospera adeo rerum suarum auspicia eum permovere poterant, ut diutius in hoc regno subsisteret, sed urbibus a se non ita pridem captis valido præsidio munitis, ineunte Septembri in Provinciam regressus est.

## §. XXIX.

*Ladislaus, Regnum Neapolis occupat.*

**L**adislaus absentia Andegavenfis opportune usus, ingentem comparavit exercitum, cui Albericum Barbiani Comitem, Connestabilem suum, & clarissimos Belliduces, Sfortiam, & Nicolaum Picinum præfecit; Ergo hisce copiis, accedenti-

dentibus quoque sexcentis equitibus, quos Bonifacius ei in auxilium submiserat, Marte tam secundo pugnavit, ut primo urbem, dein totum Neapolis regnum suo subiceret imperio. Itaque victore Ladislao Clementis res ruere, & Bonifacii crescere cæperunt, quem Ludovicus Andegavenfis certe multis calamitatibus oppressisset, si regni Neapolitani dominium servasset.

## §. XXX.

*Bonifacii exactiones.*

**P**ontifex Ladislaum Regem defensus, immodica tributa, ac vectigalia imperabat, inde vero sibi ipsi ingentem conciliavit invidiam, convertit quoque in hosce usus notabilem eleemosynarum partem, quas exteri occasione jubilæi tunc Romæ celebrati Ecclesiis obtulerant; quippe ad diversas Regiones mittebantur quæstores, qui plus offerentibus indulgentias vendebant, & seposito Canonum pœnitentialium præscripto,  
datis

datis pecuniis, a maximis quibusvis peccatis absolutionem passim impertiebantur (\*). Imperavit insuper Cardinali Florentino, ut Clericos æque ac Laicos Regni Neapolitani, juxta constitutionem Ladislai, ad præstationem unius aurei in familias singulas durante bello cogeret. Aliis duobus Cardinalibus injunxit, ut plures Ecclesiarum, & Monasteriorum terras alienarent, atque non pauca oppida, & arces ad Ecclesiam Romanam spectantes nobilibus viris oppignorarent, quæ causa fuit multorum malorum in Ecclesia.

## §. XXXI.

(\*) *Auctorum nullus hancce indulgentiarum inundationem huic Pontifici, bene tamen collectorum avaritiæ imponit, ita Chron. magn. Belg. in Bonifac. IX. ait, non concedebantur indulgentiæ nisi qui manus adjutrices porrigerent, & Collectores Pontificii tertiam oblationum partem sibi retinebant. Ipse quoque Platina testatur Bonifacium hæc simoniæ vitia sæpius revocare conatum fuisse, ipsosque Collectores istos tam a Deo, quam a Bonifacio severe fuisse punitos, Niemus testatur.*

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXV.*

i

## §. XXXI.

*Clemens suæ quoque obedientiæ ad-  
dictos divexat.*

Nec mitius Clemens suæ obedi-  
entiæ subjectos habuit. Cum e-  
nim omnes expensas, quas ipse cum  
triginta sex suis Cardinalibus, quibus  
nihil denegare audebat, immodice  
fecerat, e sola fere Gallia derivare  
posset, Abbatem S. Nicasii ad hoc  
regnum ablegat, qui dimidiam par-  
tem fructuum ex omnibus beneficiis  
colligeret, & renitentibus poenam  
privationis comminaretur. Abbas  
jam in Normanniæ Provincia rigidius  
imperata exequi cæperat, cum Uni-  
versitas Parisiensis ejusmodi exactio-  
nibus onerata, missis oratoribus in-  
stanter Regi supplicaret, ut auctori-  
tate sua interposita ejusmodi malis  
remedium afferret. Verum præsens  
temporis ratio universitati non fave-  
bat; Clemens enim tam Regem,  
quam Regni Proceres, quos quoti-  
dianis muneribus auxerat, sibi devin-  
ctos habebat. Bellum Gallos inter  
&



& Anglos, ne alia negotia discute-  
rentur, velut speciosum titulum ob-  
tendebant; ideoque ambo conten-  
dentes Papæ omni studio hoc bel-  
lum alebant, veriti, ne potentissimo-  
rum horum Regum reconciliatio in  
ipforum incommodum cederet. Ni-  
hilominus Rex restituta pace preci-  
bus universitatis benigniores aures  
præbuit, & pulso e Galliis Abbate  
S. Nicasii edictum vulgavit, quo au-  
rum omne, & argentum extra fines  
regni deportari interdictum erat. Pri-  
mus supremæ Parisiensis Curiaë  
Præses Arnoldus de Corbeja Regis  
nomine justas Academiaë querelas  
Pontifici proposuit, rogavitque, ut  
imposterum ab ejusmodi exactioni-  
bus abstineret, quod & Clemens fa-  
cturum se se promisit.

## §. XXXII.

*Universitas Regi necessitatem extin-  
quendi schismatis exponit.*

**E**adem Universitas malis ex schis-  
mate abortis commota, Bonifa-  
cium

cium æque, ac Clementem sæcularium Principum potentia fultos, unice id curare, ut quivis sibi Papatum affereret, ac idcirco tam suis Bullis, quam suscitatis ultro citroque hostibus se invicem exagitare conspicebat; unde ad restituendam Ecclesiæ pacem omnes suas vires impendere decrevit; Quapropter per suos deputatos iterato hanc causam Regi exposuit, ac semel Doctor quidam, nomine totius universitatis perorans, unionis necessitatem, mala ex schismate enata, & Regum ac Principum ad tollendum illud obligationem, tanta verborum gravitate, ac rationum pondere exaggeravit, ut assistentium plurimi ad pedes Regis provoluti instantissime rogarent, ut pro revocanda Ecclesiæ unione regia sua auctoritate uti velit. Vicit tamen arcta nimis Regis amicitia, qua Clementem ex nupero colloquio Avenione habito impensius colebat, & quia Pontifex omnium, a quorum ore tunc temporis Rex pendebat, Procerum gratiam sibi demeruerat, omnes Univerfi-

verſitatis conatus in irritum ceſſerunt. Succellu tamen temporis apparuit aliqua reſtituendæ priſtinæ Eccleſiarum conjunctionis ſpes, opera duorum Carthuſianorum, qui pietatis ſtimulis acti Romam petierunt, Bonifacium ad reddendam Chriſtiano orbi pacem permoturi.

## §. XXXIII.

*Duo Carthuſiani apud Bonifacium pacem Eccleſiæ urgent.*

**D**uo Carthuſiani erant, Carthuſiæ Monach. Anon. S. Dionys. l. 12. c. 7. p. 232. Spicil. Dacher. tom. 6. Aſtenſis Prior nomine Petrus, & D. Bartholomæus Ravennatenſis, Inſulæ Gorgonæ, ſeu Margaritæ mari Genuenſi adjacentis Prior. Ambo hi pietate inſignes Viri deplorantes, quod ſchiſmatis mala ſuum quoque ordinem divexarent, eo quod Urbanus VI, Guilielmo Raynaldo a Præpoſiti dignitate exuto, Joannem Barenſem, alias Carthuſiæ S. Bartholomæi in Campania Romana Priorem intruſerit, tandemque hujus ordinis membra ſub duplici Generali, quorum

unus in Galliis, alter Romæ imperabat, inter se quoque diro schismate discinderentur; hi duo ergo Carthusiani ad Papam Bonifacium contendunt, & ardentissimis adeo precibus eundem exorant, ut datis literis Regi christianissimo restitutionem concordiae ecclesiasticæ impensius commendaret, ac vicissim sponderet, nihil intermissurum, quo optatum finem consequi posset. Exhibetur hæc epistola in sexto tomo Spicilegii Lucæ Dacherii. Fleurius insinuare videtur duos hos Religiosos pro exemptione Ordinis sui impetranda Romam petiisse, quam & eos obtinuisse ex Bulla Bonifacii die 16. Martii 1391. data, & Epistola Papæ ad Regem die 2. Aprilis anno sequenti scripta constat. Bonifacius duobus hisce Religiosis quemdam celebrem Jurisconsultum, qui Pontificatus sui jura vel defenderet, vel exponeret, socium dare meditabatur, quod tamen ipsi cauto consilio declinaverunt, veritine, si Clemens ex sua parte alios mitteret oratores, totum pacis negotium

in

in meram verborum contentionem degeneraret.

§. XXXIV.

*Clemens hos Carthusianos reduces carceri includi jubet.*

Ergo hi duo Religiosi primo Avenionem perveniunt, ubi tum Bituricum Dux, summus Papæ Clementis VII. fautor agebat. Utrique horum isthæc Carthusianorum expeditio admodum ingrata accidebat; idcirco ne saltem mandati negotii sequeretur eventus, ambos in Carthusia Villanovæ prope Avenionem custodiæ tradi jusserunt. Nec minis tamen, nec acerbissimis injuriis extorquere poterant, ut Epistolam Bonifacii ad Regem Galliæ eis traderent. Universitas comperta hac violentia Carthusianis illata, apud Carolum VI. conquesta, tanto fervore causam egit, ut Rex durioribus verbis Clementi scriberet, se tolerare non posse, quod violato jure gentium viri, publicorum negotiorum causa

ad Pontificem missi, captivi detinerentur, ac propterea velle, ut ambo isti Carthusiani mox e vinculis solverentur.

## §. XXXV.

*Clemens ad instantiam Regis eos Lutetiam remittit.*

Clemens indignationem Regis pertimescens, Carthusianos liberos dimittit, caussatus, falso tamen, se concreditum illis negotium ignorasse; quinimo se quoque sincero ineundæ cum Bonifacio pacis studio flagrare ementitus, abeuntibus hisce Religiosis injunxit, ut Regi nuntiarent, se pariter ad tam salutare opus, quidquid virium in se esset, aut expectari posset, insuperhabito quoque propriæ dignitatis, ac vitæ suæ dispendio, sollicite impensurum. Itaque iter aggrediuntur Carthusiani, sed non nisi sub finem Decembris Parisios deferuntur.

## §. XXXVI.

## §. XXXVI.

*Rex Galliae affectibus Phreneticis corripitur.*

**H**i eodem ferme momento adveniunt, dum Rex Carolus VI. in solito quodam morbo corripiebatur, a quo nunquam amplius usque ad extremum vitæ diem, nisi per intervalla, liber extitit, unde plurima eaque acerbissima mala universo regno oborta fuere. Jamjam ex aliquo tempore Regis familiares quamdam mentis imbecillitatem, & inconstantiam sermonis in eo notabant. Ast, dum copias suas contra Britanniae Ducem in aciem educeret, morbi violentia die quinta Augusti fato plane tragico erupit. Mendicus enim quidam vili ac sordido habitu indutus, Regi obviam factus, & fere per dimidium horæ eum infecutus, quamvis tacere jussus, & vi repulsus, semper tamen inclamavit. *Quo Rex miser ruis? proderis, & in potestatem hostis traderis.* Ad hujus conspectum Rex ita conterritus, tantoque

*Monach. Sandionys. l. 12. c. 3. p. 219.*

furore correptus, ut hinc inde velut Phreneticus cursitare, quosque obvios stricto ense vulnerare, & quatuor eorum occidere, quos inter Eques Giennæ, vulgo Nothus de Polignacio dictus numerabatur. Tandem fortuna illis, quos insequabatur, favente gladius diffringitur, & ipse prehensus, ad palatium suum reportatur, ac per biduum in lecto suo sine ullo sensu decumbit, adeo, ut Medici singulis momentis exspiraturum crederent.

## §. XXXVII.

*Sanitatem recuperat, & quatuor Carthusianos ad Bonifacium mittit.*

*Idem cap. 7.* Carthusiani funesto hoc casu præpediti, non nisi mense Decembri ad Regis alloquium venire poterant, quo tamen sanitati restituto benigne audiuntur, & Pontificis literis in pleno confesso prælectis, ab ipsoque Rege approbatis, deliberatur, utrum & quomodo Bonifacio respondere expediret.



pediret? cum enim Gallia hunc velut verum Pontificem non coleret, absque Clementis injuria Papa nominari non poterat; ex altera vero parte Bonifacio, si veluti intruso scriberetur, merito stomachum moverent. Ergo media via incedendum rati, frustra obluctante Joanne Bituricensi Duce, Regis Patruo, & insigni Clementis amico decernunt, ut iidem Carthusiani viva voce responsum Regis deferrent, exponentes, *Regem monita Pontificis æquo animo suscepisse, omnesque vires regias ad unionem Ecclesiæ promovendam promptas fore.* Hoc responso instructi ambo Carthusienses ad Papam redire jubentur, illis tamen duo alii ejusdem Ordinis adjunguntur focii, quos inter erat Parisiensis Carthusiæ Prior. Ut autem sincera Regis voluntas luculentiori constaret argumento, eisdem concreditæ fuerunt literæ ad omnes Italiæ Principes, quos Carolus ad jungenda quoque sua studia cohortatus est. Postmodum pro felici hujus legationis successu publicæ preces,

ces, ac solemnes supplicationes fuerant indictæ, datumque Universitati negotium, ut singuli, quæ quisque ad pacem obtinendam, opportuniora judicaret media, scriptis exponerent.

## §. XXXVIII.

*Academicæ Conventus de Schismate extinguendo.*

Ad colligenda hæc doctorum consulta in Monasterio Mathurinorum (\*) reponebatur cista caute obferata, in cujus operculo fissura amplior, ut in Gazophilaciis assolet, incisa visebatur: præterea quinquaginta quatuor nominabantur Doctores, qui suffragia examinarent, & in compendium redigerent. Hi ea de re in generali quatuor facultatum Senatu referebant, & collatis inter se sententiis secretioribus, omnes eo collimabant, alterutram ex hisce tribus viis amplectendam esse, scilicet  
vel

---

(\*) *Id est Religiosorum de redemptione captivorum.*

vel voluntariam utriusque Pontificis  
cessionem, qua facta alius eligatur  
supremus Christi Vicarius; vel com-  
promissum in arbitros sive a se ipsis,  
sive ab aliis deligendos, qui circa u-  
triusque jura definitivam ferrent sen-  
tentiam; vel denique Concilium Oe-  
cumenicum, quod utpote communi  
fidelium consensu hac occasione con-  
vocandum, ab ipso Christo Domino  
suam haberet auctoritatem. Petrus  
de Alliaco & Ægidius de Campis,  
Doctores, tractatum, qui Regi in  
forma Epistolæ porrigeretur, com-  
ponere jubentur, in quo omnes tres  
istæ viæ argumentis fulciri, & a suis  
objectionibus forte opponendis vindi-  
cari deberent. Nicolao Clemangio  
patria Campano, Theologiæ Bacca-  
laureo in Collegio Navarrico, ac ce-  
leberrimo hujus Universitatis Rhetor-  
ices Professori data est provincia, ut  
hanc Epistolam latino idiomate dona-  
ret, sive verius juxta ea, quæ ceteri  
Doctores eidem suggererent, latine  
elucubraret.

## §. XXXIX.

## §. XXXIX.

*Bonifacius Papalis suæ dignitatis vindex.*

Interea temporis quatuor isti Carthusienses a Rege Galliæ ad Bonifacium missi, Perusium adveniunt, & sibi demandata, Regisque piam intentionem Pontifici oretenus exponunt; verum cuncta ista bene cæpta consilia in vanum abiire; quilibet enim ex hisce duobus æmulis, quamvis publice mutuis injuriis se invicem afficerent, clam communi consilio sua jura pertinaciter tuebantur. Bonifacius enim ægre ferens, quæ Carthusiani retulissent a Rege, tantum abfuit, ut datam fidem liberaret, quin potius iteratis literis se solum verum esse Pontificem ingeminaret, conquestus, quod adhucdum Clementem, quem tanquam intrusum habebat, agnoscerent; quapropter quatuor istos Religiosos remisit, eisque Epistolam Regi perferendam dedit priori multum absimilem; in qua sui Pontificatus conservationem, & æmuli

muli abdicationem pro unica reddenda pacis via jactitabat: „ Intelleximus (verba sunt Bonifacii ad Regem) illos, qui Robertum Gebennensem Antipapam constituerunt, vel huic adhæserunt, juventute tua abusos esse, teque ita obcæcasse, ut veritatem cognoscere non possis, quod valde dolemus. Interim semper speramus, ut divino numine afflatus jus fundatum Urbani, Antecessoris nostri, agnoscas. Sub finem Epistolæ die 20. Junii 1393. datæ Regem hortatur, ut a Roberto discedat; hæ tamen literæ, cum Regi repetita morbi sui violentia impedito tradi haud potuissent, Bituricum & Burgundiæ ducibus exhibitæ fuere, qui illas responso minus dignas existimarunt.

## §. XL.

*Clemens media ab universitate proposita rejicit.*

**R**ex primam Bonifacii Epistolam Clementi Avenione rebus suis intento

tento

tento miserat, qui hæcce literas flocci pendendas esse rescripsit, utpote ab intruso conceptas. Quinimo persuasurus, se pari zelo unionem percipere, preces, atque solemnes supplicationes indixit, una cum suis Cardinalibus peculiare officium, & Missam, cujus omnia verba meræ orationes, & pacis suspiria erant, composuit, pluribusque additis indulgentiis Parisios misit. Verum sæculi honoribus captus, non modo unionis media rata non habuit, sed nihil magis abominari ostendit, dum sola competitorum, qui Schisma alerent, abdicatio-  
ne pacem restitui posse, ex Parisiensis Academiae sententia decretum fuisse compererat. Tunc enim Joanni Gulonio Carmelitæ, & Theologiae Magistro datis literis injunxit, ut hanc opinionem adinventis contrariis rationibus strenue refutaret, eique, ut ejus vehementiam, atque ardorem magis exstimularet, illimitatam ab omnibus casibus reservatis absolvendi, & copiosas indulgentias enlargiendi potestatem concessit, simul-  
que

*Monach. S.  
Dionys. hist.  
Caroli VI.*

que negotium dedit, ut e suggestu ad populum diceret, omnes unionis vias hucusque conceptas inutiles esse, sola ea excepta, qua omnes Principes Christiani sacro foedere juncti Bonifacium solio deturbarent, Clementi vero tanquam unico legitimo Pontifici obedientiam, Vicario Christi debitam sponderent. Gulonius rem ex sententia Clementis gesserat; Verum Parisiensis Universitas non minus intempestivo Monachi zelo commota, quam propositionum indignitate offensa, Carmelitam e S. Facultatis gremio separavit, graviori poena dignum.

## §. XLI.

*Petrus de Luna Cardinalis Legatus  
in Galliam missus.*

**P**etrus de Luna Cardinalis Legatus *Scripta l. 3.*  
in Hispaniam missus, tria regna Clementis obedientiae adjunxerat; tam prospero legationis suae successu inflatus, eodem tempore Parisios venit, haud disparis fortunae spem concipiens.

*Hist. Eccles. Tom. XXV.*

k cipiens.

cipiens. Præprimis amplissima nomine Pontificis pollicitus præmia, præcipuorum Doctorum animos sibi conciliare studuit; cumque ex illis Petrus de Alliaco, & Ægidius de Campis ejus molitionibus acrius obfisterent, & a concepta cessionis via nec latum unguem recedere vellent, Legatus Clementi persuasit, ut a Rege ambos hosce Doctores ad se mitti peteret, obtendens, quod eorum auxilio ad ministerium Ecclesiæ summo opere indigeret. Verumtamen præclari hi duo viri, pacis quam gloriæ magis cupidi, & aliunde fabam, quæ in eos cuderetur, facile animadvertentes, venire constanter recusant, nec Parisiis excedunt. Epistola, quam Nicolaus de Clemangis de tribus pacem restituendi mediis elucubravit, Regi exhibebatur, cujus jussu Gallice reddita est, in pleno consilio recitanda. Rex prælectam benevolis auribus excepit, probavitque; factum tamen arte Ducis Bituricensis, atque Legati, ut Regem, insultibus morbi, quo laborabat, forte adjuti, a

pio



pio proposito dimotum in contrariam sententiam deflecterent, adeo, ut, cum Academiae Doctores Regem accessissent ab eo responsum percepturi, illis Cancellarius jussu Regis significasset, ne impostero quicquam ea de re agerent, nec literas hac super causa scriptas vel reciperent, vel aperirent, nisi prius Regi exhibitae fuissent.

## §. XLII.

*Universitatis Parisiensis pro Unione  
ardens studium.*

Academia de hoc regis responso praeve edocta Cancellario, praesente Legato, significat, constitutum sibi esse tamdiu cessare a lectionibus publicis, aliisque omnibus studiorum exercitiis, donec justis eorum votis satisfaceret. Nec segnius id, quod intrepide asseruit, executum est Universitas, posthabitis tam Legati minis, qui Avenionem rediit, quam Ducis Bituricum injuriis, qui hosce Doctores tanquam rebelles ac seditiosos

criminabatur, & ni a cæptis desisterent, in flumen dejiciendos comminabatur.

§. XLIII.

*Epistola Universitatis ad Clementem acriter perscripta.*

*Hist. Univers. Paris. tom. 4.*

Universitas hac facti indignitate nihil mota, ad Clementem VII. literas virili plane vigore scriptas dedit, in quibus trinam unionis viam Pontifici indicavit, graviter ac libere conquesta contra Petrum de Luna ejus Legatum: tandem impense eum adhortatur, ut alteram ex propositis concordiae viis eligeret. Universitatis constantia atque zelus ubique præclaris encomiis celebrabatur, unde & Coloniensis Academia datis ad eam literis, consilium hac in re petiit. Philippus Alenfonii Dux Cardinalium Romanorum Decanus, & Joannes Arragoniæ Rex pariter gratulatorias eidem miserunt epistolas. Ex quibus elucet, quantæ tunc temporis Universitas Parisiensis apud omnes

omnes fuerit æstimationis atque auctoritatis; illa enim omnium pacis negotiorum caput erat, eique tota Europa schismatis extinctionem maximam partem debebat.

## §. XLIV.

*Papa hisce literis indignatus.*

Universitatis Epistola jussu Clementis Papæ in pleno legebatur consistorio, mediam illius partem Papa satis placido excepit animo; verum unice cessionis viam urgeri, & ad Papatus abdicationem admoneri comperiens, tanquam fulmine tactus, supra modum excandescere, e folio surgere, ac vociferari: *Mala & venenosa est Epistola.* Sub idem tempus Universitas hac super re ad Cardinales Avenionenses scripsit, quibus omnibus, excepto Petro de Luna, probabatur consilium. Deputati, qui Academiæ Epistolas deferebant, sine responsoriis, & quidem magna celeritate reditum parabant, suæ salutis timentes. Parisios delati totam

facti feriem, & Clementis indignationem, qua Epistolam excepit, Universitati referunt, quæ illico iteratas ad Papam dedit Epistolas, acriter conquesta, quod durioribus verbis priores literas contempserit, simulque rogavit Pontificem, ut benignius rescriberet. Accidit vero, ut prius, quam hæc secunda Epistola ad Clementem perveniret, ipse jamjam Avénione diem supremum obierit, quo defuncto primum hi Deputati eam deferentes advenerant. Jam nunc percipiamus, quænam mortis suæ causa fuerit?

## §. XLV.

*Clementis VII. Papæ obitus.*

*Platin. in  
Clem. VII.*

Cardinales, cum a Pontifice, ne ulterior de unionis negotio tractatus haberetur, nullum amplius consistorium convocari animadverterent, seorsim inter se congregati Epistolam ab Universitate ad illos datam examinant, quænam ex propositis concordia viis adoptanda esset, deliberaturi.

ri. Id cum Pontifex ipsis exprobras-  
 set, respondent, Universitatis petiti-  
 onem de alterutro ex tribus mediis,  
 quæ in Epistola præscribebantur,  
 assumendo sibi justissimam, & ad red-  
 dendam Ecclesiæ pacem omnino ne-  
 cessariam videri. Quibus verbis  
 immodico dolore affectus Pontifex  
 levi correptus est infirmitate, qua ta-  
 men lecto non affigebatur, demum  
 sequenti feria quarta, quæ erat sexta  
 decima Septembris 1394. absoluto  
 Missæ sacrificio in cubiculum se re-  
 cipiens, & dolores pectoris conque-  
 stus, apoplexia tactus expiravit  
 quinquagesimo secundo ætatis, & de-  
 cimo circiter sexto Pontificatus sui  
 anno.

## §. XLVI.

*Cardinales Avenionenses literis a Re-  
 ge Galliæ datis electionem differre  
 monentur.*

Cognita Clementis VII. morte o-  
 mnium studia eo tendebant, ut Car-  
 dinales Avenionenses novum Papam  
 eligere prohiberentur. Hinc Acade-

*Juv. Ursin.  
 & Monach.  
 S. Dionys.  
 Hist. Carol.  
 VII.*

nia Parisiensis ad Regem quosdam  
ablegavit Doctores, qui peterent, ut  
dictos Purpuratos auctoritate sua in-  
duceret, ut successoris electionem  
differrent, donec iste Legatos suos  
misisset, qui de mediis Ecclesiam u-  
niendi, collatis consiliis deliberarent.  
Rex postulatis acquievit, ea tamen  
lege, ut Academia publicas suas le-  
ctiones, ceteraque scholæ exercitia  
denuo auspicaretur, quod etiam fa-  
ctum est. Eodem tempore Caro-  
lus VI. senatum convocat, cui intere-  
rant Dux Aurelianensis, frater Re-  
gis, Bituricensis, & Burgundiæ Du-  
ces, ejusdem patruī, Episcopus Pu-  
teanus, Joannes Maingrius, cogno-  
mento Bucicaldus, alique Proceres.  
Intenderat Rex Simonem Cramau-  
dum Patriarcham, Petrum Alliacen-  
sem, & Vicecomitem Melodunen-  
sem pro negotio pacis Avenionem  
mittere; cum vero Bituricum Dux,  
laicos, si mitterentur, libentius a Car-  
dinalibus recipiendos fore demonstra-  
ret, Raynaldus de Regis vulgo *de*  
*Roye* dictus, & Bucicaldus Mare-  
schallus,

schallus, Legati nominantur, quos præibat tabellarius cum Epistola, in qua Rex Cardinales obtestatur, ut usque ad adventum Legatorum electioni supersederent. Idem perscripsit Arragoniæ Rex, eorumque exempla sequebatur Germania; ipse quoque Bonifacius IX. ad Carolum VI., ad Cardinales, & Academias suos misit deputatos, qui eos monerent, ut ad tollendum schisma opportunitate temporis uti vellent.

## §. XLVII.

*Cardinales conclave ingrediuntur.*

Verum cuncta hæc monita in irritum ceciderunt; adveniente enim Galliæ Cursore, Cardinales jam Niem. 1.3. c.33. Dacher. spicil. tom. 6. jam a die Sabbati vigesima sexta Septembris ad vesperam conclave ingressi, Regis literas, aut alias quas-cunque accipere renuebant, donec absoluta esset electio. Interim, ut Carolo VI. sincerum pacis studium, quo sane potior eorum pars ducebatur, testatum redderent, formulam

k 5                      conci-

concipiunt, qua præstito super sacrosancta Evangelia juramento singuli polliciti sunt, quod quiscunque in Papam eligendus esset, ad tollendum schisma omnibus viribus allaboraret, etiam arrepta cessionis, ac depositionis via, si id majori Cardinalium parti pro bono pacis videretur expedire. Huic formulæ octodecim subscripsere Purpurati, quorum primus Guido Malestius Prænestinus Episcopus, alias dictus Cardinalis Pictaviensis, & Petrus de Luna decimus sextus erat. Cardinales Florentinus de Agrifolio, & S. Martialis licet præsentibus essent, subscribere recusarunt; duo vero aberant, Jacobus Episcopus Sabinensis, & Joannes de Novocastro Episcopus Ostiensis. Mirum tamen, quod in dicto juramento non legatur illa clausula, *si pariter æmulus cesserit*, cum tamen hanc ipsam pactionibus conventis adjectam fuisse historiæ series supponat.



## §. XLVIII.

*Petrus de Luna in Papam electus.*

Cardinales non nisi biduo in Con- Ciacon. in  
Bened. XIII  
clavi hærentes, die 28. Septem-  
bris in profesto S. Michaelis unanimi  
voce eligunt Petrum de Luna Cardi-  
nalem de Arragonia, annos circiter  
sexaginta natum. Hic Benedictus  
XIII. nuncupari voluit; Is anno mil-  
lesimo trecentesimo septuagesimo  
quinto a Gregorio XI. Pontifice Car-  
dinalium collegio adscriptus, novem-  
decim annis hac dignitate claruit.  
Electione peracta confestim formu-  
lam in conclavi præscriptam ratam  
habuit, cumque Papatus consequen-  
di desiderium ei haud alia, quam spe-  
ciosa unionis, ac concordiae verba  
suggessisset, Cardinales non alium  
virum, quem eligerent, ad cessionis  
viam amplectendam illo magis pro-  
num, & tollendi schismatis magis stu-  
diosum reperiri posse, arbitrati sunt,  
eo firmiori argumento, quia illico ad  
Regem Galliae, & Parisiensem Aca-  
demiam

miam Legatos decrevit, qui eos ad feligendam viam pro reddenda Ecclesiæ pace opportuniorem adhortarentur. Itemque ad Joannem Castellæ Regem literas dedit, in quibus improbitatem, ac schisma nutriendum furorem diris devovet, testatus, malle se per totam vitam suam monasterio inclusum manere, quam cum tanto Ecclesiæ detrimento Pontificatum retinere. Verum hæc labiis, non autem corde dixisse, eventus docuit. Eodem tempore Nicolaus de Clemangis, ardentissimus ille pacis amator, summum Pontificem, datis literis, solidissimis juxta, ac sincerissimis adhortabatur, in bono suo proposito firmus persisteret, & præsentibus Ecclesiæ malis prompto animo succurreret; Nicolaum eadem occasione tractatum suum *de ruina, seu corrupto Ecclesiæ statu*, composuisse, non nulli conjiciunt, alii hanc lucubrationem ad annum 1414. revocant, certum tamen est, eandem Romæ ad indicem librorum prohibitorum rejectam fuisse.

*Cave hist.  
Litter.*

§. XLIX.

## §. XLIX.

*Concilium Nationale Parisiis in unionis negotio celebratum.*

Galliae Rex amplissimis Benedicti *Hist. Car. VI*  
 verbis haud dubie parem animi *p. 278. & 282*  
 sinceritatem correspondere ratus, die *Labh. Conc.*  
 2. Februarii 1395. solemnem indixit *tom. II.*  
 conventum Parisiis in Palatio cele-  
 brandum, qui pro Nationali Synodo  
 habetur. Convocantur plusquam cen-  
 tum & quinquaginta Prælati, quorum  
 tamen pluribus vel morbo vel senio  
 præpeditis, solus Simon Cramaudus  
 Patriarcha Alexandrinus, & Carcas-  
 sonensis Ecclesiae Administrator, cum  
 septem Archiepiscopis, quadraginta  
 sex Episcopis, novem Abbatibus,  
 pluribusque Decanis, atque Docto-  
 ribus comparuere. Præsidis mune-  
 re fungebatur Patriarcha Alexandri-  
 nus, & Arnaldus Corbejensis Can-  
 cellarius sua quoque præsentia con-  
 ventum honorabat. Per plures dies  
 de unionis negotio deliberatum, tan-  
 dem potior suffragiorum pars in eam  
 abiit sententiam, utriusque conten-  
 dentis

dentis cessionem medium esse præ ceteris promptissimum, tutissimum juxta, ac facillimum; verum Benedicti Papæ Oratores tunc Parisiis agentes instanter obtestati sunt Regem, ut suo interventu totum negotium suspenderetur, & ad summum Pontificem definitio suprema devolveretur. Quorum precibus Rex lubenti animo cessit.

§. L.

*Legatio Principum ad Benedictum.*

Igitur Legatio ad Benedictum discernenda erat, quam Rex Bituricensi, ac Burgundo ducibus, Patruis suis, Duci Aurelianensi fratri suo, aliisque suis Consiliariis detulit. Hi amplissimo mandato instructi die Sabbati 22. Maji 1395. Avenionem veniunt. Primordia congressus magno utrinque gaudio, ac mutuæ amicitiae signis celebrata fuere, sed brevi mutata est scena. Hosce Principes comitabantur nonnulla Universitatis membra, inter quæ Ægidius de Cam-  
nis

pis numerabatur, qui in publico confesso, praesentibus viginti Cardinalibus, plurimis Doctoribus, ac viris literatis sermonem habuit ad Pontificem, alio quoque die Sylvanectensis Episcopus perorabat. His omnibus Benedicto persuadere conabantur, ut jurisjurandi authographum exhiberet, a Cardinalibus ante ingressum Conclavis subscriptum, & quamvis hac de re nomine Regis admoneretur, tamen vehementer obluclatus est, primo (ut referunt non nulli) se ulli instrumento, quo abdicationem promississet, subscripsisse negabat, demum vero hoc authographum quidem producere, sed non nisi remotis arbitris, ac coram solis Ducibus, spondit, illudque tandem a Cardinale Pampilonensi studiosissimo ejus Fautore afferri jussit, quod & ipse una cum Legatis recitavit, quibus vix non invito Benedicto transumptum communicabatur, quod postmodum Lutetiam missum in pleno Senatu lectum est.

## §. LI.

*Papa cessione refragatus.*

Tertius agebatur congressus, & in eo fortiter apud Pontificem institerunt Legati, ut mentem suam de modo conciliandæ pacis aperiret; ipse vero tunc declarabat, æquissimam, ac magis opportunam tollendi schismatis viam esse, si ipse cum Bonifacio, & utriusque obedientiæ Cardinalibus in quodam Galliæ finitimo loco sub Regis tutela convenirent, de unionis modo tractarent, & rationibus eorum ultro citroque expositis, sponderent, se non inde discessuros, priusquam lis inter eos composita esset. Ægidius de Campis hoc Pontificis consilium confutat, constanter ipsam urgens cessionem, dumque Benedictus Legatorum vota calamo excipi peteret, ut de mediis huic negotio idoneis provideri posset, respondit Ægidius, haud opus esse Scriptura pro unico duarum syllabarum verbo: nempe *cedo*. Pontifex constantia viri perterritus, spatium petiit ad deli-

deliberandum. Legati vero hanc  
 Benedicti tergiversationes pertæsi  
 recedunt, & ad Villam novam prope  
 Avenionem, ubi alias diversari sole-  
 bant, revertuntur, rogantque Cardi-  
 nales, ut si cum eis colloqui vellent,  
 eo se conferrent. Igitur ad condi-  
 ctum locum omnes conveniunt, quos  
 inter præcipuus erat Cardinalis Flo-  
 rentinus, & consultatione facta sex-  
 decim vel octodecim eorum commu-  
 ni suffragio omnes viam cessionis ap-  
 probant, excepto solo Cardinale  
 Pampilonensi, qui intrusi Pontificis  
 depositionem pro optima, & prom-  
 ptiore via habebat. Nec felicior e-  
 rat quarti colloquii eventus, Pontifi-  
 ce cessionis viam constanter rejicien-  
 te, ac mutuum cum suo æmulo col-  
 loquium pertinacius expetente.

*Dacher. spi-  
 cil. tom. 6.  
 p. 133.*

## §. LII.

*Benedictus XIII. edit Bullam prorsus  
 inanem.*

Nihil a Benedicto impetrare pote-  
 rant, nisi Bullam, quæ in pleno  
*Hist. Univ. Paris. tom. 6  
 p. 746.*

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXV. l con-*

consistorio præsentibus Cardinalibus, ac nonnullis Curiaë suæ Ministris, & Galliaë Legatis prælecta fuit, sequentes complectens articulos. I. Sub Protectione Regis Galliaë tam competitores, quam eorum Cardinales in loco securo congregandos esse, ut deliberarent de mediis unionis II. sibi inconsultum videri, antequam sic congregarentur Cardinales sententiam suam de modo unionis aperire, timendum enim, ne malevolorum artibus ejus consilia everterentur. III. Cum via cessionis (a se quidem incautius acceptata) nec a jure statuta, nec ad extinguendum schisma a Patribus unquam in usum deducta legeretur, ne per ejusmodi peccaminosam novitatem Dei offensam incurreret, merito sibi timere. IV. Se quidem Principes exorasse, ut sibi hanc cessionis viam ad exitum deducendi media indicarent, nullum tamen ab eis responsum accepisse. V. Si per hanc viam unio obtineri nequeat, eligendos esse utrinque arbitros, qui utriusque partis jura deciderent.



rent. VI. Sin vero nec per collo-  
quium, nec per arbitramentum con-  
cordia restitui posset, aliam se viam  
tunc propositurum, vel ab aliis pro-  
ponendam acceptaturum, quæ foret  
rationi, legibus & honestati magis  
consona.

§. LIII.

*Principes re infecta Parisios reversi.*

**L**egati hanc Bullam sibi prælectam *Monach.*  
cum indignatione audientes di- *Sandion.*  
scedunt: Duces vero cum Deputatis *lib. 15. c. 10.*  
Academiæ, omnibusque Cardinali- *et l. 16.*  
bus, exceptis tribus, conveniunt, su-  
per Pontificis constitutione delibera-  
turi: quam, cum fallacibus artibus  
plenam censerent, communibus votis  
rejiciunt. Cardinales, quod res ad-  
huc infecta esset, Principum disces-  
sum ægre ferentes, Benedictum a-  
deunt, & flexis genibus obsecrant,  
ut cessionis viam amplecteretur; tan-  
dem etiam erectis ad cælum mani-  
bus, omnibusque ferme lacrimantibus  
iterum iterumque eidem supplicant;

1 2

nec

*Spicil. loc.  
sit.*

nec tamen ejus pertinaciam expugnare poterant, imo nunquam tanta arrogantia, quam hac eadem occasione loqui audiebatur, cum etiam Cardinalibus novam traderet Bullam, qua cunctis sub pœna inobedientiæ, ac perfidiæ inhibuit, ne formulæ supercessionis via confectæ subscriberent. Hoc Pontificis consilio Duces non mediocriter concitati, nullis amplius precibus flecti poterant, ut ad eum rursus inviserent, sed recta magnis itineribus Lutetiam redierunt; quo tandem die vigesima quarta Augusti S. Bartholomæo sacra pervenientes, rei gestæ feriem ad Regem, ejusque Senatum deferunt, rogantque, ut ipse pro pace Ecclesiæ hucusque bene cæpta perficeret.

§. LIV.

*Plures Europæ Principes cessionis  
assentiuntur.*

*Hist. Univ.  
Paris. tom. 4  
p. 752.*

**R**ex ardentissimo procurandæ pacis studio accensus, nec a proposito suo dimoveri passus, oratores suos ad ceteros

ceteros Reges, atque Principes, Academiae hortatu, mittere statuit, qui eos ad urgendam cessionis viam, utpote reliquis efficaciorum, hortarentur. Abit in Germaniam Abbas S. Aegidii Noviodunensis, comitante Aegidio de Campis Theologo. Angliam petunt Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiscopus Viennensis. Parisiensis quoque Universitas ad Academiam Oxoniensem Joannem de Curtacoxa Theologiae Doctorem, & Petrum Regis, Montis S. Michaelis Abbatem; ad Coloniensem vero, nec non ad Electores ablegat Petrum Platum Theologiae Doctorem, & alium quemdam Jurisconsultum. Rex Angliae viam cessionis praetulit, non obstante contraria Oxoniensis Universitatis sententia, quae quaestionis hujus decisionem potius ad Generale Concilium remittendam esse censuit. Paulo ante Angliae Rex Legatos suos, collatis prius cum Carolo Galliarum Rege consiliis, Romam & Avinionem decreverat, eo fine, ut u-

1 3      trumque

trumque Papam ad amplectendum hoc medium inducerent; cum ergo ab iisdem Legatis in Angliam reversis edoceretur, tam Bonifacium, quam Benedictum colludere, ac causæ decisionem unanimi studio protelare, hac ex causa cessionis viæ firmiter institit; narrabant enim Legati Bonifacium constanter profiteri, se ad abdicandum Papatum esse paratum, si prior cedat Benedictus, eoquod certus esset, hunc a cessione alienissimum esse.

*Mariana*  
l. 19. c. 8.

Pariter cessionis adstipulabantur, Universitatis Parisiensis iudicium secuti, Wenceslaus Imperator, S. R. I. Electores, & Bavariae, ac Austriae Duces, Francofordiae congregati. Sigismundus Hungariae Rex nil hæsitans mox acquievit, & Navarrae, ac Castellae Reges pariter Galliae Regem imitati sunt, frustra contranitente Martino Arragoniae Rege, qui Joanni Regi nuperrime successit, & Benedictum, quem, utpote concivem suum sibi subiectum reputabat, ob privata sua

com-

commoda constanter tuebatur. Rex Lusitaniæ, ceterique Principes, qui hucusque Pontificum Romæ residentium obedientiæ addicti erant, neutri ex propositis tollendi schismatis viis accesserunt, sed immota fide Bonifacium tanquam verum Papam coluerunt, ab eo deficere, cui semel obedientiam devovissent, indecorum esse arbitrati.

## §. LV.

*Appellatio Universitatis.*

Cum Universitas ardentiori studio *Hist. Univ. Paris tom. 4. p. 821.* accensa viam unionis urgeret, *Spicil. tom. 6. p. 143.* Benedictus Papa contra illam verbis & factis debachatus est, ut ergo comminati anathematis vim præverteret, ab ejus sententia ad futurum Pontificem ab universa Ecclesia acceptandum provocavit. Benedictus adversus hanc appellationem, qua plenitudini suæ potestatis præjudicatum credebat, Bullam edidit; cumque in ea a Judicio Papæ appellare licitum non esse adstrueretur, Academia

demia proprio suo honori consultura, secundam interposuit appellationem, qua primam utpote a Benedicto tanquam libellum famosum rejectam vindicaret. Pontifex altera hac provocatione comperta, novam condidit Bullam, qua omnes vel a se, vel a suis successoribus provocaturos excommunicationis sententia percellit. Nihilofecius Academia suam causam prosequens, in Mathurinorum cœnobio congressum instituit, atque cessionem optimam esse unionis viam denuo declaravit. Septendecim quoque Cardinales scripta ad Carolum VI. Epistola idem medium tanquam ceteris utilissimum approbaverunt.

## §. LVI.

*Cardinalis Pampilonensis in Gallis non receptus.*

Tandem Universitas obfirmatum Benedicti animum intelligens, Regi subtractionem ab ejus obedientia proposuit. Quare percepta Pontifex in extremas angustias conjectus,

ctus, Cardinalem Pampilonensem propinquum suum in Gallias mittere decernit, ut hujus consilii executionem impediret. Verum Rex cognita Pontificis voluntate ad eundem scripsit, eumque hortatus est, ut Legatum domi retineret, ne fors non sine rubore a suo alloquio repelleretur. Benedictus datis ad Bituricensem Ducem, ipsumque Regem literis, injuriam sibi hucusque inauditam irrogari acerbe conqueritur, sed surdas pulsabat aures.

## §. LVII.

*Secundum Concilium Nationale in Gallia, in quo subtractio decernitur.*

**R**ex Galliae denuo Synodum coegit Nationalem, in qua de subtrahenda obedientia tractaretur. Haud equidem Rex ipse illi intererat, utpote ex morbo suo rursus decumbens, ejus tamen vices egerunt Aurelianensis Dux ejusdem frater, Bituricensis, Burgundus, & Borbonius  
 15                      Duces

Duces illius patrum, cum Arnaldo de Corbeja Franciæ Cancellario, cunctisque aliis Senatus Regii membris. Carolus III. Navarræ Rex ipse præfens erat, Castellæ Rex autem non nisi suos per Legatos. Aderant quoque Patriarcha Alexandrinus, undecim Archiepiscopi, sexaginta Episcopi, septuaginta Abbates, sexaginta octo Capitulorum Procuratores, præter Universitatis Parisiensis Rectorem, Facultatum Procuratores, & Academicarum Aurelianensis, Andegavenfis, Montispeffulanæ, & Tolosanæ Deputatos, & plurimos Theologiæ, ac Jurisprudentiæ Doctores.

## §. LVIII.

*Gallia plenæ subtractionis viam adoptat.*

*Monach.  
Sandion.  
l. 18. c. 2.  
Hist Univ.  
Paris. tom. 4.*

Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus hoc Concilium, cujus Præses erat, oratione Gallica auspiciatus est, ac omnibus, quæ hucusque gesta fuissent, recensitis, subtractionem a Benedicti obedientia vel  
omni-



omnimodam, vel saltem quoad Beneficiorum collationes, & temporalia Ecclesiarum bona restrictam adoptandam proposuit, caussatus, Benedictum, pecunias in Galliis corrasas, & Beneficia, quorum collatio ei competeret, potissimum impendisse, ut fautorum suorum numerum augetet. Suffragantium ferme erant trecenti, ex quibus ducenti quadraginta septem pro totali subtractione sententiam dicebant. Rex quoque plurimorum votis accessit. Ergo die 28 Julii subtractionis Edictum promulgatur, quod anno 1398. die 29. Augusti publicis Parlamenti tabulis insertum fuit. Hac lege auctoritate Regis prohibitum, ne subditorum suorum quisquam Benedicto obedientiam præstaret, vel officialibus ejus quidquam solveret: addito tamen mandato, ut interim Ecclesia Gallicana avitis suis libertatibus pleno jure potiretur, & beneficia secundum Juris communis præscriptum, vel per Electionem Capitulorum, vel ordinariorum collationem

nem

nem mere gratuitam conferantur, penitus proscripto omni onere Ministris Papalibus olim præstari solito, sub quocunque demum obtentu id exigeretur.

## §. LIX.

*Ceteri Principes exemplum Galliarum sequuntur.*

*Hist. Univ.  
Paris. ibid.*

Paulatim universa propemodum Europa subtractionis viam amplexa est; nam Principes vicini, & Bavariæ Dux quantocius Gallorum exemplum imitati, similem obedientiæ denegationem tam in spiritualibus, quam temporalibus ad omnes suas ditiones extenderunt. Exhibet Historia Academiæ Parisiensis documentum subtractionis ab Episcopo Leodiensi Joanne Bavaro, ejusdemque diæcesis pluribus Nobilibus adoptatæ. Præterea Maria Blesensis Regina, & Ludovici Andegavensis Mater in Provincia, ubi agebat, Regesque Navarræ, & Castellæ in suis regnis, in quibus regimen Ecclesiæ

fiæ ad Gallorum leges compositum erat, eidem subtractioni assenserunt. In plurimis locis sparsim permulti inveniebantur Bonifacio adhærentes, qui a sua quoque obedientia defece-  
runt. Carolus VI. die 27. Julii binas encyclicas dedit epistolas, quarum una censuras, & sententias a Commissariis, Auditoribus, Judicibus, Delegatis, aliisque auctoritate Benedicti Papæ forte ferendas, nihili haberi voluit, & ut id fieret, sedulam curam suis Provinciarum Præfectis, Prætoribus, aliisque regiis officialibus demandavit. Altera normam præscripsit circa Beneficiorum collationem, & Regimen Ecclesiasticum pro tempore subtractionis. Qualiter vero hæc disposita fuerint, quæque remedia malis ex hac subtractione enascentibus adhibita, enucleatius in quarto tomo Historiæ Universitatis Parisiensis recensetur.

## §. LX.

*Octodecim Cardinales a Benedicto deficientes.*

*Monach.  
S. Dionys.  
l. 18. c. 6.  
Surita l. 1.*

Cuncta ista Gallorum consilia rebus Benedicti valde inimica fore, facile colligi poterat, certum tamen, eum inter tam repentina, tamque inopinata adversantis fortunæ ludibria nunquam acerbiori vulnere perculsum ingemuisse, ac dum octodecim Cardinales a sua obedientia secedere inaudit; hi enim subtractionis documento ad eum missi, Villanovam Regis Galliæ oppidum, sese receperunt, ut iram Pontificis, & Arragonensis exercitus a Roderico de Luna fratre ipsius in auxilium missi insultus effugerent. Crevit immodice Benedicti furor, dum præter suos Cardinales, etiam a pluribus Domesticis, Capellanis, Auditoribus, aliisque suis officialibus se derelinqui videret; hi enim turmatim ab eo desciverant, postquam a duobus Commissariis a Rege missis, nempe

pe Roberto Franciscano Juris Do-  
ctore, & Tristano de Bose Ecclesiæ  
Attrebatensis Præposito hanc obe-  
dientiæ subtractionem Avenione pri-  
ma Dominica Septembris 1398. pu-  
blicari perceperunt, eisque nuntia-  
tum esset, eosdem Commissarios o-  
mnibus Regis subditis tam Clericis,  
quam Laicis præcepisse, ut sin-  
guli sub gravissimis pœnis aula, ac  
ministerio Benedicti excederent, quo  
factum, ut Pontifex nonnisi duos nu-  
meraret Cardinales, scilicet Pampi-  
lonensem, & Tarraconensem, qui  
adversam magis fortunam sentire,  
quam ab ejus societate divelli vo-  
luere.

Cardinales Villanovæ in asylo  
morantes, tres e gremio ad Carolum  
VI. ablegant, nempe Pictaviensem,  
de Salutiis, & de Turejo Cardinales,  
qui a Rege peterent, ut ad subtra-  
ctionem ceteros Principes induceret,  
Concilium Generale pro unione con-  
vocari, ipsumque Benedictum tan-  
quam schismaticum, & hæreticum  
comprehendi juberet. Cardinalis  
de

*Juv. Ursin. de Tureio ceterorum nomine perorans, pereleganti sermone Regi exposuit, quam utile, imo quam necessesse sit, ut Rex eorum precibus deferret, se nihil, quod veritati apprime consonum non foret, contra Benedictum dixisse subjungens; Cui Cancellarius nomine Regis respondit: incarcerationem Pontificis ex capite hæresis Regi non competere, cetera vero cum illis, atque Prælati Galliæ maturiori discutienda examine.*

*Juv. Ursin. Histor. Caroli VI. p. 134. Monach. S. Dionys. l. 18. c. 10.*

## §. LXI.

*Rex cum copiis Petrum Alliacensem, & Bucicaldum Mareschallum Avenionem mittit.*

**P**etrus de Alliaco An. 1396. Episcopus Cameracensis nominatus, qui paulo post Romam missus erat, Bonifacio cessionem persuasurus, currente anno 1398. circa mensem Majum redux, jussu Regis denuo Avenionem proficiscitur, comitante Joanne Maingrio Bucicaldo Franciæ Mareschallo una cum copiis suis, ut Benedictum

dictum vel per compositionem amicabilem, vel quacunque alia via ad abdicandum Papatum urgerent.

Episcopus Cameracensis cum Mareschallo Lugdunum usque pervenit; inde vero, cum ab invicem discederent, Episcopus solus iter suum prosecutus est, Mareschallo Lugduni relicto, ubi ulteriora mandata expectare iussus est. Petrus de Allia-  
co Avenionem delatus, salutato Pontifice, negotium sibi concreditum exposuit, affirmans, Galliae Regem, & Imperatorem mutuo consensu statuisse, ut uterque Pontifex dignitatem suam abdicaret. Ad hæc verba Benedicto toto vultu rubor emicare, tandem vero respondere, se pro Ecclesia multos sustinuisse labores, legitime electum fuisse, & tamen nunc ad cedendum cogi, se vero id, quoad vixerit, facturum nunquam, velleque, ut ipse Galliae Regi significaret, se ejus Imperio nequaquam obtemperaturum, sed nomen, dignitatemque suam usque ad mortem conservaturum. Postera die denuo alia occa-

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXV. m sione*

fione Episcopo Cameracensi mentem suam sic aperuit, „ Dic, inquit, Filio „ meo Gallix Regi, quod eum huc „ usque tanquam bonum Catholi- „ cum veneratus sim, fraude tamen „ aliorum non ita pridem seductum „ suo tempore poenitebit. Quare „ bonis consiliis se regi sinat, nihil „ que agat, quo conscientiam lædat. „ Demum ira excandescens, se legiti- „ mum Papam esse, nec Tiaram dimis- „ surum, etiamsi cute exuendus esset, „ sæpius repetiit, ac discessit. Epis- „ copus vero sumpto prandio, equo „ vectus, Villanovam, inde Balneo- „ lum oppidum in Gallia situm venit, „ ibidemque pernoctat, ubi Bucical- „ dum Mareschallum S. Andreae por- „ tum nono lapide ab Avenione disti- „ tum subiisse comperit.

## §. LXII.

*Bucicaldus Mareschallus Avenionem  
expugnat.*

**E**rgo Petrus Alliacensis Bucical-  
dum Avenione convenit, inde ve-  
ro



ro Parisios revertitur, & Mareschal-  
lo demandatam sibi provinciam exe-  
qui, ac Avenionensem urbem obsi-  
dione cingere præcipit, quam paulo  
post accedentibus civibus, Benedi-  
cti tyrannidem exosis, armis suis  
subjicit.

## §. LXIII.

*Benedictus in arce obsessus.*

**B**enedictus, omnibus hisce infestæ  
fortunæ casibus nequaquam per-  
motus, constanter protestatur, se  
nunquam renuntiaturum, etiamsi mo-  
ri contingeret. Quare una cum suis  
Arragonensibus ad arcem confugiens,  
inde datis ad Martinum Arragoniæ  
Regem literis, suppetias postulat,  
quas tamen Arragonius, ne Regem  
Galliæ sibi offensum redderet, ferre  
renuit. Igitur Bucicaldus impune  
arcem oppugnat, & Benedictus tota  
hyeme tam arcta obsidione premitur,  
ut nemini liber ad urbem vel ingres-  
sus, vel exitus pateret.

## §. XIV.

*Marescallus obsidione dilata arcem  
circumvallare iussus.*

Pontifex præfidiariis militibus fame propemodum consumptis, vix non obsidentibus in prædam cessisset, nisi aliunde ad Principum preces alia subiisset rerum facies. Dum enim Bituricensis Dux nupera Avenionensi legatione offensus, tanto odio ferebatur in Benedictum, quanto olim favore Clementem profectus fuerat, Dux Aurelianensis, qui Burgundiæ, ac Bituricum Ducibus continuo studio adversari intentus erat, pro Benedicto intercessit, cui etiam preces suas junxit Martinus Aragoniæ Rex, qui missis ad Carolum VI. Legatis declaravit, quod Pontifex causæ suæ merita unice Regis arbitrio relinquere, ac in omnibus ejus beneplacito parere paratissimus esset. Igitur Rex Galliæ horum deprecatione motus Mareschallo Bucicaldo præcepit, ut obsidione soluta arcem,

arcem, quamdiu cum Benedicto de pace tractaretur, cinctam ita teneret, ut, quamvis nemini exire liceret, omnem tamen necessarium com meatum invehni permetteret.

Narrant quidam Historici, a Rege Arragoniæ classem, ut succurreret Benedicto, instructam fuisse, sed quia Rhodani alveo nimium depresso, Avenionem appellere non potuit, Rex pactionibus Papam liberare tentaverit, tantaque dexteritate ejus Legati rem gesserint, ut Benedictum licet ægre admodum, tandem tamen eo induxerint, ut se cessurum pollicitus esset, si æmulus vel cesserit, vel mortuus aut depositus fuerit. Præterea fidem dat, præsidiarios quoque arcis milites se dimissurum, reservata centuria pro corporis sui securitate, denique pari militum numero Concilio, si quod celebraretur, se interfuturum promisit.

## §. LXV.

*Benedictus in suo Palatio  
captivus.*

*Hist. Univ.  
Paris tom. 4.  
sub finem.*

Sub hisce conditionibus Rex Galliae Benedicto clientelam suam spondet, & in palatio eum ab omni vi, & injuria securum reddit, adhibita tamen foris custodia, ne arbitrio suo recedere posset. Ibi varias literas scripsit, præcipue vero unam ad Regem Galliae stylo summe pathetico, & ad commiserationem ciendam composito: mala (inquit) quibus premor, satis clare testantur, me non mentis pervicacia conditionem tueri velle adeo miseram, qualis mea est; omnium mortalium miserrimus juxta, ac stolidissimus essem, si in hoc Sæculo certissimam miseriam cum periculo æternæ in futuro mihi pararem, tandem vero sub finem Epistolæ libertati restitui efflagitat. Rex in suis responsoriis eum adhortatus est, ut juramenti in sua electione sole-

mni-

mniter præstiti fidem datam persolveret.

§. LXVI.

*Subtractionis via multis non probata.*

Quamvis itaque ad firmandam subtractionis viam nihil intentatum relictum fuerit, nihilominus tantum obtineri haud poterat, ut hæc omnibus probaretur: quinimo ab ipsis quoque Benedicti æmulis rejecta fuit. Cramaudus enim Patriarcha Alexandrinus pro exigendis pecuniariis subsidiis, clerum congregavit; & Ecce! hæc petitio plurimos ita exulceravit, ut totus conventus optato successu caruerit. Universitas quoque Parisiensis, potissima subtractionis causa, Episcopis crimini dedit, quod Academiæ membra, ac socios a beneficiis vacantibus excludant, eaque sibi devotis, habita personæ ratione conferant, idque adeo indigne accepit, ut scholæ exercitia

*Hist. Uni-  
vers. Paris.  
tom. 5.  
initio.*

fisteret. Universitas Tolosana aliis rationibus mota scripsit ad Regem epistolam, in qua aperto Marte subtractionem fati acriter impugnat; & quamvis Nicolaus Clemangius schismatis extinctionem ardentibus votis desideraret, & ad Benedictum XIII. a prima electionis suæ die plurimas & mordaci facundia plenas literas ea de re dedisset, nunquam tamen subtractionis viam comprobavit. Joannes Gersonius, alique plurimi Doctores scientia, ac studio pacis clarissimi, ejusdem cum Nicolao erant sententiæ; & licet subtractioni, postquam in Galliis decreta fuit, acquieverint, tamen ad reddendam Ecclesiæ pacem, inutilem præfagebant.

§. LXVII.

*De Simonia sub Bonifacio IX.*

Simoniam, quæ a principio quidem occulte, postea vero aperte Romæ ab Aulicis exercebatur, ipsum Boni-

Bonifacium in invidiam populi traxit. Ferunt aliqui, ipsum Annatas perpetuas, tanquam jus Romanæ Sedis inseparabiliter annexum instituisse; totam quoque Italiam pervagabantur Sedis Apostolicæ Cursores, qui studiose in infirmos, ac ditiores beneficiarios eo fine inquirebant, ut defunctorum beneficia sibi Romæ aucuparentur, cum vero isti, deficiente non nunquam pecunia, nummos cum fænore mutuos accipere cogentur, usura adeo sub hoc Pontificatu invaluit, ut (si Theodorico Niamo *de schismate l. 2. c. 7.* fides habenda foret) non amplius peccatum esse crederetur. Quandoque idem beneficium eadem die pluribus vendebatur, & re ipsa vacare, singulis exponebatur. Uno verbo, inquit Fleurius, beneficiorum nundinatio tam frequens erat, ut plurimi aulæ Ministri eam licitam esse, neque Pontificem in hac materia peccare posse, defenderent.

*Hist. Eccl.  
tom. 20.*

Interim Patrimonium S. Petri deprædationibus expositum ingemuit; Fundorum Comes, quem Bonifacius hoc anno 1399. anathematis sententia perculit, plures status Ecclesiastici urbes vi occupavit, & ad Portas Romanas usque prædas egit. Joannes quoque Galeatius Mediolanensium Dux Perusium in suam redegit potestatem; quapropter Pontifex Roma Assisium fugere compulsus est, hæc turbas sedaturus, sed paulo post in urbem reversus ob Jubilæum, quod anno sequenti indixerat, ibi celebrandum.

## §. LXVIII.

*De Secta Albatorum.*

*Niem. de  
schism. l. 2.  
c. 26.  
Antonin.  
chron. tit.  
22. c. 3.  
Pogg. hist.  
Flor. l. 3.  
p. 136.*

Eodem tempore *Albatorum* secta in Italiam irrupit. Percipiamus Theodicum a Niem, qui triginta omnino annis in Italia vixit, & hujus monstri oculatus testis erat, ac proin majori fide dignus, quam S. Antoninus, Platina, Leonardus Aretinus & alii,



alii, qui de hoc scripserunt. Anno decimo ejusdem Bonifacii, inquit ille, aliqui truffatores de Scotiae partibus in Italiam venientes, cruces lateritias subtiliter per infusum sanguinem in conspectu populi exprimentes, dictas cruces etiam olei liquore intus madefactas aestivo tempore sudare fecerunt, & fingentes unum ipsorum esse Eliam Prophetam, & de Paradiso rediisse, mundumque in brevi terrae motu perire debere, & totam pene Italiam, Romam quoque, & Campaniam Romanam pervagantes omnem populum mirabiliter deceperunt, ita quod etiam Presbyteri, & Clerici, & Laici utriusque sexus, & pene totus populus in Romana, & vicinis regionibus, nec non etiam quidam Cardinales decepti per hujusmodi truffatores se induerunt saccis, seu albis camisiis, nec non cantantes nova carmina per modum Litaniae processionaliter iverunt per civitates & loca vicina per tredecim dies continuos, antequam ad domos proprias redierunt,

homb

runt,

runt, nocturno tempore cubantes in Ecclesiis, & monasteriis, ac eorum cæmeteriis, & aliis officinis illa turpiter defædando, nec non penes illa repertos fructus in arboribus totaliter devorando, in quibus quidem processionibus, & stationibus maxime nocturno tempore multa fiebant anomala, quia senes, & virgines, nec non & mulieres pariter, & virgines absque prava suspitione simul de nocte in eodem loco cubabant, & mane surgentes ibant ulterius cantando tota die sicut die præcedenti fecerunt, sed demum uno Pseudopropheta comprehenso in Aquapendenti, nec non ad quæstiones posito, ipse flagitium detexit, pœna docente, quem flamma combussit. Ceterum Platina refert, quod Bonifacius fanaticum hunc hominem exuri jusserit, an autem impostor fuerit, hic idem auctor in dubium vocat. Nihilominus devotio hæc non omni fructu destituta videtur, nam Poggius in sua Historia Florentina testatur, quod

quod pœnitentes, priusquam faccos albos induerent, sacerdotibus cum ingenti male actæ vitæ detestatione sua peccata confitentes, illa expiarint; injurias olim illatas sibi invicem remiserint, ac veterum simultatum memoriam deleverint. Lucenses primi, numero fere quatuor millia crucifixi imaginem præferentes, instructo supplicantium agmine Florentiam peregrinati sunt, quæ Florentini primum publice victui necessaria ministrabant, demum & ipsi ad horum imitationem vestibus albis induti novam hanc religionem tanto fervore sequebantur, ut nemo eam vilipendere ausus fuerit, quin subito torvis omnium oculis notaretur. Præterea cuncta pietatis exercitia tunc temporis frequentissime, ac incredibili fervore peragebantur, & depositis atrocibus, inveteratisque odiis, pax ubique redintegrata videbatur. Verbo; adeo universalis erat animorum reconciliatio, ut insidiæ, homicidia aliaque crimi-

crimi-

crimina charitati proximi contraria penitus exulaverint. Hi sunt fructus illi insignes inde progeniti. Tandem vero detecta est eorum fallacia, & horum Pseudopœnitentum ordo contemptui habitus, paulo post evanuit, penitusque extinctus est.

## §. LXIX.

*Jubilæum Romæ ad annum 1400. celebratum.*

*Spond. an. 1400. §. I. Gobellin. Person. Cosmod. l. 6. c. 81. p. 311. Niem. l. I. c. 68. Juv. Ursin. p. 142.*

Eodem anno 1399. Christi fideles, præcipue vero Galli, pie credentes, ad initium cujuslibet sæculi solemnne Jubilæum celebrandum esse, Romano itineri se accingunt, illud anno sequenti 1400. indictum consecuturi. Equidem Bonifacius VIII. hanc solemnitatem anno 1300. instituens, anno quovis centesimo reiterandam declaravit, Clemens VI. tamen hunc terminum nimis prolixum existimans, ad quinquagesimum annum reduxit. Tandem vero Urbanus

nus

nus VI. in memoriam annorum, quos *Christus Iesus* in carne nostra mortali transegit, ad quemlibet trigessimum tertium annum circumscripsit. Verum Fidelium pietate antiquis moribus tenaciter adhærente, nihilominus singulis centum annis Romam peregrinari assueverant, hæc indulgentias lucraturi, unde Romanæ urbi non modica accessit utilitas, cum e contra aliis regnis præjudicium inferretur. Rex Galliæ regnum suum exhaustum iri ratus, suis subditis turmatim ad Jubilæum anni 1400 accurrentibus hanc peregrinationem inhibere decrevit, quod ut consequeretur, eo fine regno exire, speciali lege vetuit, partim, ne Bonifacius pro legitimo Pontifice agnosci videretur, partim ne pecuniæ extra regnum deportarentur. Verum insuperhabito hoc edicto Galli utriusque sexus certatim Romam profecti sunt. Cum vero Bonifacius bello adversus Honorium Cajetanum Fundorum Comitem implicaretur, peregrinantes suæ  
inobe-

inobedientiæ pœnas dederunt; nam priusquam Romana limina salutarent, a militibus Comitibus spoliati, alii trucidati, plures nobiles quoque scœminæ stupratæ fuerunt. Eorum, qui Romam venerant, innumeri pestilentia, quæ tum singulis diebus in urbe fere sexcentos homines abripiebat, perierunt.

## §. LXX.

*Iter, & adventus Imperatoris Constantinopolitani in Gallias.*

*Monach.  
S. Dionys.  
l. 20. c. 1.*

Jam ab anno 1399. Urbs Constantinopolitana a Turcis obsessa cum extremo periculo lætatur. Pera enim, quæ quasi illius suburbium est, urbemque commeatu juvabat, hostium insultibus vix ultra resistere poterat. Ast Bucicaldus Mareschallus cum ducentorum virorum cohorte in auxilium submissus, suburbium, simulque urbem obsidione liberavit, Turcas repulit, & iterata velitatione profligavit. Cum vero militum

&

& stipendorum inopia laboraret, un-  
 nacum Imperatore Emanuele in Gal-  
 lias rediit, validiores suppetias po-  
 stulaturus; relicto interim Constan-  
 tinopoli Castro-Morando, qui urbem  
 ab hostibus defenderet. Interea  
 Dux Joannes Galeatius Vicecomes  
 Palæologum Mediolanum transeun-  
 tem perhonorifice excepit, & in Gal-  
 liam usque, ubi hoc anno advenit,  
 amplo comitatu deducere jussit. Qui  
 etiam Parisiis magnificentia Cæsa-  
 reæ Majestatis digna receptus fuit,  
 cumque novum peteret auxilium,  
 ampla spe inaniter lactatus, nihil im-  
 petrare potuit, quam annum, quo  
 vitam sustentaret, stipendium; Quip-  
 pe Regis infirmitas, & mutua Prin-  
 cipum dissensio in caussa fuit, quod  
 majora negarentur subsidia, licet in-  
 tegro biennio in Galliis moratus fue-  
 rit. Verum cum ei nuntiatum esset,  
 quod Tamerlanes seu Temir - Lanc  
 Bajazetem ingenti clade affecisset,  
 ac captivum abduxisset, quodque Vi-  
 ctor Emanuele ad suas ditones  
 redire cuperet, Imperator Regi, to-  
 n tique

*Hist. Eccles. Tom. XXV.*

tique Regiæ Familiæ ob ejus munificentiam, ac recepta obsequia gratias rependens valedixit, suumque iter aggressus est, postquam illum Rex Galliæ, Princeps usque ad vitæ suæ finem liberalis, splendidissimis muneribus cumulavit, simulque pro restaurandis suis terris eidem annum subsidium quatuordecim millium solidorum argenteorum destinavit, ac eum ducentorum armatorum comitatu in Græciam dimisit, injuncta eum deducendi Provincia Castro-Morando, qui non ita pridem Constantino- poli redux, Imperatorem, ut reverteretur, vehementer urgebat, fidemque dabat, se illum ad urbem suam incolumem reducturum. Hoc itinere Græcorum Imperator minus suis commodis, melius autem pluribus Europæ provinciis, & præcipue Italiæ prospexit, nam docti illi viri, qui Imperatorem comitabantur, liberalium artium Græcarum, atque latinarum studium, cultumque ad hæc regiones retulerunt.

*Monach.  
Sandionys.  
l. 22. c. 6.*



## §. LXXI.

*Wenceslaus Imperio exaudito-  
ratus.*

Eodem hoc anno Imperator Wenceslaus filius natus major Caroli IV, & Sigismundi postea Imperatoris frater, regno depositus est. Rex iste avaritiæ, fœcordiæ, luxuriæ, intemperantiæ, & aliorum vitiorum jure merito portentum audit. Regiam suam dignitatem, ac Imperium innumeris flagitiis turpiter fœdavit. Hunc tandem Proceres Bohemiæ ejus crudelitatem exosi, in carceres detrudi jusserunt, unde in fœtore, ac squalore tribus, vel quatuor mensibus detentus, tandem ope cujusdam mulierculæ, quæ ipsi, dum in balneo lavaretur, inserviebat, liberatus fuit, quam sive gratitudinis titulo, sive incontinentiæ vitio, mensæ, ac thorisociam postmodum sibi adjunxit. Verum cum sinistro hoc fato neutiquam resipisceret, Sigismundi fratris sui

*Boh. an.  
1400. n. 111.*

*Dubrav. l. 23  
hist. Boh.*

jussu denuo in vincula conjectus, Viennam sub custodia Alberti Austriaci delatus est. Verum & ibidem opitulante quodam Piscatore, quem dein Equitem creavit, fuga elabitur. Tandem omnibus his nil proficientibus, Electores eum deponere decernunt, & die 20. Augusti 1400 in illum exauctorationis & privationis Imperii sententiam pronuntiant, quam Elector Moguntinus præsentibus aliis duobus Electoribus Ecclesiasticis, Ruperto Bavariae Duce, Friderico Brunsvicensi, & Norimbergæ Burggravio publice prælegit.

## §. LXXII.

*Rupertus Bavariae Dux Imperator electus.*

*D. Marten.  
Anecd. dot.  
to. I. p. 1634.  
Gobelin.  
Person.  
Cosmod. 1.6.  
c. 7.*

Post promulgatam Wenceslai depositionem Electores convenere in Brunsvico - Luneburgicum Ducem, egregium sane Principem, ac rei militaris peritissimum. Verum cum ipse paulo post a Waldeko Comite

mite nefarie occideretur, Rupertum  
 III. Bavariæ Ducem, qui sexta post  
 hebdomada Francofurtum ad Mæ-  
 num ingressus erat, elegerunt, qua  
 urbe, aliisque pluribus in fidem suam  
 receptis, anno sequenti anno 1401.  
 in festo Epiphaniæ coronatus fuit Co-  
 loniæ, eoquod Aquisgranenses, apud  
 quos ex more inaugurari debuisset,  
 illum ad urbem admittere, ac Impe-  
 ratorem agnoscere detrectarent, Bo-  
 hemis insuper, aliisque constanter  
 Wenceslao adhærentibus. Nihilo-  
 minus Rupertus paulo post electio-  
 nem suam Bonifacio datis literis si-  
 gnificat, spondetque solemnem lega-  
 tionem, quæ sanctitati suæ amplio-  
 rem de omnibus hac in re gestis no-  
 titiam delatura esset. Pariter Ele-  
 ctiores ad Papam, ejusque Cardinales  
 scripserunt, exauçtorationis Wences-  
 lai causas exponentes. Nil dicam  
 in præsentiarum de itinere Ruperti in  
 Italiam, ubi solemniter coronari, &  
 ditiones, quas Wenceslaus Joanni  
 Galeatio Mediolanensium Duci ces-  
 ferat,

ferat, recuperare meditabatur. Hinc inter utrumque Principem dirum accendebatur bellum, sed copiis Rupertii cæsis, ipse, quin coronari potuerit, primo vere anni sequentis in Germaniam redire compulsus est. Hæc sunt, quæ ad intelligentiam rerum Sæculi XV, quod ordimur relatu necessaria duximus.

